Sala 2
Gab. —
Est. 8
Tab. 13
N.º 11

2
8
13
11

2
8
13
11

a lit.a D. n.7

COMMENTARII

# COLLEGII CO-NIMBRICENSIS SOCIETATIS IESV,

## IN DVOS LIBROS DE GENERATIONE & Corruptione, Ariſtotelis Stagiritæ.




47595

Martim a.o Mexia

Do Collegio de S. Joseph.os de Carmelitas descalços.

CONIMBRICÆ

Ex Officina Antonij à Mariz Vniuerſitatis Typographi.

Anno Domini, M.D.LXXXXVII.

*Cum Priuilegio Regis, & facultate Superiorum.*

LIVRARIA DA UNIVERSIDADE

## IVDICIVM EORVM, QVI AD hos cõmentarios ex officio Sanctæ Inquiſitionis recognoſcendos conſtituti fuerunt.

PERlegimus hos curſus Conimbricenſis cõmentarios in libros de Generatione, & Corruptione, in quibus nihil inuenimus, quod Fidei aut bonis moribus repugnet. Quin verò cenſuimus eſſe opus & doctrinæ ſubtilitate, & ſtyli nitore, & rerum, quæ in eo tractãtur, copia & varietate inſigne; nec Philoſophis tantùm, ſed Theologis quoque perquàm vtile futurum. Quod proinde non modo typis excudi, ſed immortalitati commendari debeat.

*Ioannes Correa.* *F. Ludouicus de Sotto Maior.* *Rey de Goes.*

## FACVLTAS SVPREMI SANCTÆ Inquiſitionis Concilij.

Excudantur hi commentarij in duos libros de Generatione, & Corruptione. 24. Septembris. 1592.

*Antonius de Mendoça.* *Iacobus de Souſa.* *Marcus Teixeyra.*

## FACVLTAS REGII SENATVS.

Excudantur hi commentarij. Oliſipone, 23. Decembris. 1595.

*Hieronymus Pereira.* *Damianus de Aguiar.*

## FACVLTAS ILLVSTRISS. AC REVEREN diſſ. D. Alphonſi de Caſtelbranco Epiſcopi Conimbricenſis.

Excudi poſſunt hi commentarij, cum nihil contineant à Chriaſtiana religione, aut rectamorum Doctrina alienum. 4. Decemb. 1595.

D. ALPHONSVS EPISCOPVS COMMES.

# SVMMA DO PRIVILEGIO REAL
Communicado ao Impreſſor Antonio de Mariz, com todas ſuas forças, & pelo meſmo tempo que aos Padres da Companhia de IESV he concedido.

ELREY Noſſo Senhor fez merce aos Padres da Companhia de IESV deſte Reyno, que ninguem poſſa Imprimir, nem trazer de fora, nem vender quaeſquer liuros compoſtos, ordenados, ou tresladados por elles, ſem ſua approuação ſobpena de perder os ditos liuros que lhe forem achados, & trinta cruzados: como mais largamente ſe contem no priuilegio, & Prouiſão de Sua Alteza, que Iorge da Coſta fez em Lisboa a 25. de Agoſto. Anno do Senhor. De 1572.

REY.

# SVMMA CAPITVM, ET QVÆSTIONVM, QVÆ IN HISCE LIBRIS ARISTOTELIS DE GENERATIONE, ET CORRVPTIONE CONTINENTVR.


## In Primo libro.

### CAPITE PRIMO.

Proponitur ſuſcepti inſtituti ratio, enumerantur veterum philoſophorum dogmata de rerum ortu, & interitu.

### CAPITE II.

Rurſus doctrinæ ſcopus explicatur, & antiquorum de re propoſita ſententię in medium afferuntur.

### CAPITE III.

Declarat Ariſtoteles quid ipſe de rerum ortu, & interitu ſentiat: ſtatuit dandam generationem ſimplicem, & dubia quædam diſſoluit.

### CAPITE IIII.

Generatio ſimplex quid ſit; quo pacto ab alteratione, cæteriſque mutationibus differat: item quænam alterationis propria, peculiaris ve natura ſit.

Quęſtio. 1. Quid ſit alteratio, & quo pacto ad generationem ſeſe habeat.
Art. 1. Explicatur alterationis definitio.
2. Quibus inter ſe alteratio, generatioque diſſideant.
3. Dubij cuiuſdam enodatio.
Quęſt. 2. Vtrum alteratio ſit continua; nec ne.
Art. 1. Qui partem negatiuam tueantur, & quibus argumentis.
2. Solutio quæſtionis.
3. Diluuntur primi articuli argumenta.
Quęſt. 3. Quem dignitatis locum alteratio inter cæteros motus vendicet.
Art. 1. Reſponſio ad queſtionem.
2. Aliquot obiectorum dilutio.
Quęſt. 4. Quod nam ſit ſubiectum alterationis, aliorumque materialium accidentium.
Art. 1. Explicatio controuerſię.
2. Materialia accidentia interuentu quãtitatis in materiam recipi.
3. Obiecta aduerſus ea, quę primo articulo concluſa ſunt, eorumque refutatio.

Vtrum quodlibet accidens diuina virtute alieno ſubiecto inhærere poſſit; an non. Quęſt.5.
Argumenta pro parte negatiua. Art.1.
Quid in re propoſita ſentiendum videatur. 2.
Occurritur primi articuli argumentis. 3.
Poſſit ne accidens diuina virtute cõſeruari extra ſubiectum. Quęſt.6.
Quæ argumenta probare videantur, non poſſe. Art.1.
Certum eſſe, poſſe diuina virtute conſeruari accidentia extra ſubiectum. 2.
Argumentis initio adductis nihil contra ea, quæ primo articulo aſſerta ſunt, confici. 3.
Quidnam accidens amittere, aut acquirere debeat, vt diuinitus extra ſubiectũ maneat. Quęſt.7.
Quid circa vtranque partem controuerſię ſentiendum ſit. Art.1.
Explicantur duo argumenta proximi articuli. Agitur de actione, & interitu accidentiũ extra ſubiectum. 2.
Diluitur tertium argumentum primi articuli; oſtenditur cauſalitatem ſubiecti reſpectu accidentiũ non ſuppleri à Deo in genere cauſę materialis. 3.
Detur ne ſubſtantialis generatio, an non. Quęſt.8.
Et ſi eam veteres negarint, negari tamen non poſſe. Art.1.
Occurritur argumentis, quibus ſubſtantialis generatio oppugnari poteſt. 2.
An generatio ſubſtantialis rectè ab Ariſtotele definita ſit. Quęſt.9.
Explicatur definitio generationis ſubſtantialis. Art.1.
Refutatio obiectorum. 2.
An definitio generationis viuentium rectè ſe habeat. Quęſt.10.
Explicatur definitio generationis viuentium. Art.1.
Reſponſio ad argumenta contra ſuperiorem definitionem. 2.
Vtrum generatio ſit conuerſio. Quęſt.11.
De conditionibus ad conuerſionẽ requiſitis. Art.1.
Diſputatio queſtionis, eiuſque dilutio. 2.
Vtrum generatio ſit vera actio inſtantanea, an non. Quęſt.12.
Opinio exiſtimantium non eſſe. Art.1.
Conſtituitur vera ſententia, diluunturque argumenta aduerſariorum. 2.
In quanam actione generatio propriè conſiſtat. Quęſt.13.
Decernitur conſiſtere in actione, qua generãs Art.1.

vnit formam cum materia. Diſquiritur num in humana generatione talis actio detur.

2. Probabilius videri etiam in generatione hominis dari ex parte, generantis actionem, quæ animam intrinſecè attingat eā corpori vniendo.

Quæſt.14. Vtrum humanæ generationes ſupra naturę vim editæ propriè, vniuoceque generationes ſint: an non.

Art.1. Argumenta partis negatiuæ.

2. Explanatio controuerſiæ; & dilutio argumentorum ſuperioris articuli.

Quęſt.15. Vtrum forma, an compoſitū ſit terminus per ſe generationis.

Art.1. Diuerſę auctorum ſententię.

2. Quid in re propoſita aſſerendum videatur.

3. Reſponſio ad primi articuli argumenta.

Quęſt.16. Quibus rebus generatio, & corruptio inter ſe conueniant, & differant: & de quibusdam earum affectionibus.

Art.1. Explicatur corruptionis definitio.

2. Multiplex conuenientia, & diſcrimen, inter generationem, corruptionemque.

3. Quonā modo corruptio dicenda ſit naturalis.

4. Quod generatio intendatur per ſe a natura.

5. Quod corruptio non intendatur à natura per ſe.

Quęſt.17. An corruptio vnius, ſit alterius generatio.

Art.1. Argumenta, quę pro parte negatiua afferri poſſunt.

2. Statuuntur aliquot aſſertiones, quibus tota quęſtio explanatur.

Quęſt.18. An in cuiuslibet rei naturalis interitu fiat vſq; ad materiam primam reſolutio, nec ne.

Art.1. Quibus argumentis negatiua pars quæſtionis oſtendi videatur.

2. Defenditur pars affirmatiua controuerſię.

3. Diluitur primum argumentum primi articuli: Agitur de concurſu diſpoſitionum; reſpectu formę.

4. Explicantur cętera primi articuli argumenta.

5. Quo pacto dilui poſſint rationes eorum, qui negatiuam quęſtionis partem tuentur.

Quęſt.19. Num in quolibet compoſito phyſico tot inſint formæ ſubſtantiales re ipſa differentes, quot eſſentialia prędicata.

Art.1. Qui affirmatiuam partem ſequantur, & quibus eam argumentis probent.

2. Aſtruitur pars negatiua, diluuntur aduerſariorū argumenta.

Quęſt.20. Danda ne ſit in rebus phyſicis corporeitatis forma, an non.

Art.1. Opiniones, & argumenta eorum, qui affirmatiuam partem tuentur.

2. Corporeitatis formam eſſe fictitiam, minimeq; neceſſariam.

3. Diluuntur contrarię opinionis argumenta.

Quęſt.21. Vtrum in homine plures ſint animę, an vna tantùm.

Diuerſę auctorum ſententię. Art.1.

Omnino aſſerendum vnam tantùm eſſe animā in quolibet homine. 2.

Occuritur primi articuli argumentis. 3.

Vtrum partes organicę animalium diuerſas ſpecie formas vendicent, an non. Quæſt.22.

Opinio exiſtimantium vendicare. Art.1.

Conſtituitur pars negatiua controuerſæ. Diluuntur tria priora argumenta ſuperioris articuli. 2.

Explicatur quartum argumentum: diſſeritur de partium diſsimilarium actione. 3.

Sintne capilli, & vngues animati; an non. Quęſt.23.

Diuerſę philoſophorum ſententiæ. Art.1.

Diſſoluuntur argumenta pro ſuperioribus ſententijs adducta, vt quam quiſque magis probarit, tueri poſsit. 2.

Num quatuor humores, & ſpiritus tam vitales, quàm animales vita prȩditi ſint, an non. Quęſt.24.

Quibus argumentis pars affirmatiua quęſtionis vera videatur. Art.1.

Concluditur pars negatiua controuerſiæ. 2.

Explicatio argumentorum primi articuli. 3.

Vtrum lac, & ſemen viuant. Quęſt.25.

Qua ratione lac procreetur: & quod vita careat. Art.1.

Semen poteſtate, non actu viuere. 2.

Vtrum in ſemine generatiua, & formatrix virtus inſideat. Quęſt.26.

Quid in propoſita difficultate ſentiendum ſit. Art.1.

Dilutio vltimi argumenti ſuperioris controuerſiæ; & aliarum quarundam dubitationum explicatio. 2.

An vterque parens per vim ſeminariam actiuè concurrat ad generationem. Quęſt.27.

Quæſtionis in vtranque partem diſputatio. Art.1.

Quæſtionis concluſio. Explanatio argumentorum vtriuſque partis. 2.

Ex qua materia coagmentetur fœtus. Quęſt.28.

Proponitur duplex ſententia, vna Ariſtotelis, altera Medicorum. Art.1.

Dubia quædam ſoluentur. 2.

An cor ante alia membra efformetur. Quæſt.29.

Refutantur qui omnia membra ęquè primò cōfingi credidere. Art.1.

Sententia Hippocratis, & Ariſtotelis, quorum ille hepar, hic cor primò effingi putauit. 2.

Probabile eſſe cor; probabile item iecur primò gigni: vtriusque partis argumenta probabilia tantùm eſſe. 3.

Cur filij parentibus, alijsve ſimiles, aut diſsimiles naſcantur. Quæſt.30.

Traduntur nonnullę huius rei cauſæ. Art.1.

Quantam in re propoſita imaginatio vim habeat. 2.


## CAPITE V.


Quid ſit accretio: quo pacto ab alijs motibus differat:

differat: quid inter eam, & nutritionem ſit diſcriminis.

Quęſtio. 1. De facultate naturali, vitali, & animali.

Art. 1. Facultatem naturalem, ad quam accretio, & nutritio ſpectant, partim in iecore contineri, partim non.

2. Facultatem vitalem in corde ſedem habere.

3. Quid de animali facultate aſſerendum ſit.

4. Argumenta aduerſus ea, quę ſuperioribus articulis concluſa ſunt.

5. Soluuntur omnia proximi articuli argumenta, excepto vltimo.

6. Diluitur vltimum quarti articuli argumentum. Quęritur quodnam ſit in animali membrũ dignitate primum.

Quęſt. 2. Dentur ne ſpiritus in animante, an non.

Art. 1. Dari ſpiritus vitales, & animales, &, vt quidã volunt, etiam naturales

2. Quo naturæ artificio ſpiritus procreentur, foueanturque.

Quęſt. 3. Qua ratione altrix facultas circa alimentum negotietur.

Art. 1. De neceſsitate vegetatricum facultatum, deque prima alimenti coctione.

2. De ſecunda coctione.

3. De tertia coctione, & conuerſione alimenti, deque facultatibus adiutricibus.

Quęſt. 4. Vtrum omnes quatuor humores in hepate gignantur.

Art. 1. Conſtituitur pars affirmatiua.

2. Aliquot obiectionum dilutio.

Quęſt. 5. Quidnam ſit fames, & ſitis.

Art. 1. Argumenta contra famis, & ſitis definitionem ab Ariſtotele traditam.

2. Vnde fames, & ſitis oriantur; & in quo propriè conſiſtant.

3. Dilutio argumentorum primi articuli.

Quæſt. 6. Cuiuſmodi eſſe oporteat alimentum.

Art. 1. Propoſiti dubij explicatio.

2. Obiecta, eorumque refutatio.

Quęſt. 7. An elementum, rei viuentis alimentum eſſe queat, nec ne.

Art. 1. Argumenta in partem affirmatiuam.

2. Dubij ſuperioris explicatio.

Quæſt. 8. Vtrum animalia ſanguine prędita ſolo ſanguine nutriantur.

Art. 1. Vtriuſque partis argumenta.

2. Quæſtionis concluſio.

3. Soluuntur argumenta primi articuli.

Quæſt. 9. Vtrum ſit neceſſe omne viuens nutriri, an non.

Art. 1. Diſſolutio controuerſię; & argumenta, quibus ea oppugnari poſsit.

2. Reſponſio ad ſuperiora argumenta.

Quęſt. 10. Vtrum viuens, quandiu viuit, nutriatur.

Art. 1. Videri non ſemper nutriri.

2. Viuens, quandiu viuit, nutriri: nec ſuperioribus argumentis oppoſitum concludi.

Quęſt. 11. Vtrum alimentum per nutritionem in veram ſubſtantiam rei, quæ alitur, commutetur.

Sententia Magiſtri, & Alexandri Aphrodiſæi. Art. 1.

Superiorum ſententiarum confutatio. 2.

Reſponſio ad argumenta primi articuli. 3.

An toto nutritionis decurſu idem ſubiectum perſeueret, nec ne. Quęſt. 12.

Quid Ariſtoteles ſignificarit nomine partium formalium, & materialium ſubiecti. Art. 1.

Quo pacto maneat, vel non maneat idem, ſubiectum, quod nutritur. 2.

Quonam modo accretio, & decretio inter ſe, & à nutritione differant. Quęſt. 13.

Quam variè accretionis, & decretionis nomen vſurpetur. Art. 1.

Explanatio controuerſiæ. 2.

Fieri ne poſsit, vt viuens, dum vita fruitur, ſemper augeſcat. Quęſt. 14.

Et ſi viuens dum viuit, nouam quantitatis portionem comparet; augeri tamen perpetuò non poſſe. Art. 1.

Soluuntur aliquot obiectiones. 2.

Num eius, quod incrementum ſumit, quælibet pars augeſcat. Quęſt. 15.

Aſtruitur pars affirmatiua quæſtionis. Art. 1.

Quarundam obiectionum dilutio. 2.

Sit ne accretio in quouis poro facta motus cõtinuus; an non. Quęſt. 16.

Diuerſæ auctorum ſententię. Art. 1.

Verę opinionis explicatio. 2.

Reſpondetur contrariarum opinionum argumentis. 3.

An corpus, quod rareſcit, nouam acquirat quãtitatem; nec ne. Quęſt. 17.

Quidnam ſint raritas & denſitas. Art. 1.

Diuerſæ opiniones circa controuerſiam initio propoſitam. 2.

Rarefactione neque veterem quantitatem deperdi, neque nouam acquiri. 3.

Diſſoluuntur contrariarum partium argumẽta. 4.

Quos motus ſubeat corpus cùm rareſit. 5.

Argumenta aduerſus id, quod de motu ad maiorem extenſionem aſſertum fuit: eorumq; explanatio. 6.

Vtrum ſine rarefactione, & abſque acceſſu nouę materię poſsit diuina virtute ex paruo fieri magnum, an non. Quęſt. 18.

Quæſtionis in vtranque partem diſputatio. Art. 1.

Præfertur pars negatiua, diluuntur vtriuſque partis argumenta. 2.

## CAPITE VI.

Quid, & quotuplex ſit tactus; & quorum actio tactum requirat.

Vtrum ad mutuam actionem, & paſsionem corporum, requiratur agentis, & patientis contactus. Quęſt. 1.

Negatiuę partis argumenta. Art. 1.

2. Solutiō quæſtionis, & argumentorum ſuperioris articuli explanatio.

CAPITE VII.

Referuntur veterum opiniones de actione, & paſsione: ſtatuitur quæ in ſe mutuò agunt, & patiuntur, partim ſimilia, partim diſsimilia eſſe oportere: item ea, quæ communem materiam nō habent, abſe inuicem pati non poſſe.

CAPITE VIII.

Confutantur antiquorum placita de modo agendi, & patiendi, videlicet Empedoclis, Leucippi, Miliſsi, & Platonis.

CAPITE IX.

Quę ſit vera agendi, & patiendi ratio, & quæ ad id conditiones requirantur.

Quæſt.1. Poſsit ne idē agere in ſe ipſum actione reflexa.

Art.1. Explanatio controuerſię quoad actionem reflexam luminis.

2. Enodatio controuerſię quoad actionem, reflexam, quæ per antiperiſtaſim fit.

3. Explicatio eiuſdem.

4. Adduntur quędam ad propoſitæ difficultatis explicationem concludendam.

Quęſt.2. Poſsit ne ſimile agere in ſibi ſimile, an non.

Art.1. Statuitur prima concluſio, eademque ab aduerſariorum argumentis defenditur.

2. Ponitur ſecunda concluſio; diluuntur obiectiones.

3. Traditur tertia concluſio: ſoluuntur rationes contrarię ſententię.

Quęſt.3. Detur ne inter agens, & patiens actio reciproca: an non.

Art.1. Argumenta partis negatiuæ.

2. Negari non poſſe mutuam actionem, & paſsionem inter agens, & patiens; & in ea re explicanda non rectè quoſdam philoſophari.

3. Repaſsionem fieri, dùm vnius qualitatis actiuitas alterius reſiſtentiam vincit.

4. Refelluntur falſę quorundam opiniones circa ea, quę proximè concluſa ſunt.

5. Diluuntur rationes, quę probare contendebāt patiens non reagere.

CAPITE X.

An detur in rerum natura miſtio; quibus rebus competat; qua ratione fiat; quid ſit miſtile.

Quęſt.1. Vtrum miſtio ſit.

Art.1. Quibuſdam argumentis videri non eſſe: re tamen vera eſſe.

2. Diluuntur argumenta, quæ miſtionem è medio tollere nitebantur.

3. Dubij cuiuſdam enodatio.

Vtrum definitio miſtionis rectè ſe habeat. Quæſt.2.

Argumenta partis negatiuę. Art.1.

Defenditur miſtionis definitio. Occurritur argumentis in aduerſam partem adductis. 2.

Vtrum elementa ſecundum ſuas formas maneant in miſto, an non. Quæſt.3.

Qui auctores affirmatiuam partem defendant, & quibus argumentis. Art.1.

Negatiuam partem quæſtionis veram eſſe. 2.

Diluuntur aduerſariorum argumenta. 3.

Qua ratione elementa dicantur manere virtute in miſtis. Quęſt.4.

Diuerſę auctorum ſententię. Art.1.

Veræ opinionis explicatio. 2.

## In ſecundo libro.

CAPITE PRIMO.

Inchoatur diſputatio de elementorum ortu, & interitu; agitur de materiali principio tum elementorum, tum corporum, quę ex ipſis coaleſcunt: referuntur ea de re varię antiquorum ſententię.

CAPITE II.

Diſſeritur de principio formali elementorum, quatenus tangibilia, atque actiua, & paſsiua ſunt: enumerantur varię contrarietates tactilium qualitatum: explicatur, quęnam ex ijs pertineant ad formale principium elementorum, & quænam actiuę ſint, quæ paſsiuæ.

CAPITE III.

Singulis elementis proprię aſsignantur qualitates: ponitur numerus elementorū, ſubijciuntur nonnulla theoremata ad eorum ſtatū, conditionemque declarandam.

Quid ſit elementum. Quęſt.1.

Multiplex elementi ſignificatio, & definitio. Art.1.

Eſſentiales elementorum formas non eſſe qualitates primas. 2.

Solutio rationum, quæ oppoſitum probare nitebantur. 3.

Sint ne quatuor primæ qualitates, an non. Quęſt.2.

Negatiuę partis argumenta. Art.1.

Totius controuerſiæ explicatio. 2.

Soluuntur aduerſarię parti argumenta. 3.

Vtrum Ariſtoteles quatuor primas qualitates rectè definierit. Quęſt.3.

Quibus rationibus negatiua pars oſtendi videatur. Art.1.

Diluuntur proximi articuli rationes. 2.

Num è quatuor primis qualitatibus duæ actiuę ſint, duę paſsiuæ. Quæſt.4.

Explicatio quæſtionis. Art.1.

Dubiorum quorundam ſolutio. 2.

Vtrum ſingulis elementis, ſingulæ in ſummo qualitates inſint, & quæ quibus. Quęſt.5.

Art. 1 Vnicuique elemento in ſuo naturali ſtatu competere vnam qualitatem in ſummo: igni calorem, aeri humiditatem.
2. Aquæ ſummum frigus; terræ ſiccitatem ſummā deberi.
Quęſtio.6. Vtrum elementa, pręter qualitatem vnam ſummè intenſam, aliam in excellenti gradu vendicent.
Art. 1. Affirmatiuę partis aſſertio, & confirmatio.
2. Eorum rationes, qui aerem natura calidū eſſe negarunt.
3. Concluditur aerem eſſe natura calidum, diluuntur aduerſariorum argumenta.
4. Qualitatem, quę elementis in excellenti, non tamen ſummo gradu competit, contrariæ admixtam eſſe.
Quęſt.7. Vtrum qualitates ſymbolicę elementorum inter ſe ſpecie diſtinguantur, an non.
Art. 1. Non diſtingui.
2. Diluuntur argumenta contra ſuperioris articuli concluſionem.
Quęſt.8. Vtrum calor elementalis ſpecie differat ab animali, & cœleſti, an non.
Art. 1. Qui auctores putent differre, & quibus id argumentis ſuadeant.
2. Elementarem calorem, cœleſtem, & vitalem, omneſque in vniuerſum calores eiuſdem eſſe ſpeciei.
3. Auerſariæ partis argumenta non concludere.
Quæſt.9. Poſsint ne duo contraria inueniri ſimul in eodem ſubiecto, an non.
Art.1. Opinio exiſtimantium nec contraria remiſſa poſſe ſimul inueniri.
2. Quędam contraria remiſſa eidem rei ineſſe poſſe; quędam non poſſe.
3. Contraria in excellenti gradu non poſſe ſimul in eodem ſubiecto inueniri.
4. Semper ex vtroque contrario, ſi prima ſint, vnius latitudinem abſolui.
5. Contrarias qualitates in gradibus perfectis diuina virtute eidem rei ineſſe poſſe.
6. Quid de exiſtentia contrariarum actionum in eodem ſubiecto iudicandum ſit.
7. Diſſoluuntur primi articuli argumenta.

CAPITE IIII.

Elementa ex ſe mutuò gigni; & quo pacto inter habentia, vel non habentia ſymbolum, eiuſmodi generatio ſeſe habeat.
Quęſt.1. Vtrum quoduis elementum è quouis gignatur, an non.
Art.1. Argumenta in negatiuam partem.
2. Reſponſio ad propoſitam dubitationem.
Quæſt.2. Num ſymbolica elementa in ſeſe faciliùs commeent.
Art.1. Argumenta, quę affirmatiuam partem oppugnant.
2. Conſtituitur pars affirmatiua.
Vtrum ex pluribus elementis poſsit gigni vnū à quolibet eorum ſpecie diſtinctum. Quęſt.3.
Quibus argumentis videatur non poſſe. Art.1.
Solutio dubij. Explicatio argumentorum. 2.

CAPITE V.

Pręter elementa non dari aliud corpus, quod ipſorum principium, & materia ſit: ipſa verò elementa quatuor eſſe, non plura, nec pauciora.

CAPITE VI.

Peccaſſe Empedoclem, quod negarit elementa in ſe mutuò commutari; atque alia quę dā aſſeruerit, & à ſuis dictis, & à philoſophica veritate aliena.

CAPITE VII.

Empedoclis errores iterum coarguuntur. Explicatur qua ratione miſta ex elementis cōſtent; & vt primarum qualitatum miſtura, ac temperies fiat.

CAPITE VIII.

In quolibet miſto ineſſe elementa omnia; etiā ignem, qui & ſi nutriri videatur, re tamē vera non nutritur; ſed prout in quolibet miſto virtute continetur, in pabulum rerum viuentium cedit.
Quid, & quotuplex ſit temperamentum. Quęſt.1.
Temperamentum non eſſe relationem, nec quintam qualitatem; ſed quatuor primas ad moderationem reductas. Art.1.
Temperamentorū differentię, quę & quales ſint. 2.
Detur ne corpus ex quęſitè temperatum, an non. Quęſt.2.
De temperamento ad iuſtitiam. Art.1.
De temperamento ad pondus diuerſę auctorū ſententiæ. 2.
Quæſtionis explanatio. 3.
An corporis humani temperamentum, & cōſtitutio idonea ſit cæteriſque pręſtantior. Quęſt.3.
Negatiuę partis argumenta. Art.1.
Conſtituitur pars affirmatiua; refelluntur argumenta contraria. 2.
Diluitur vltimum primi articuli argumentum: Explicatur in quonā pulchritudo conſiſtat. 3.
Quodnam temperamentum ad excellentiā ingenij, & mentis perſpicaciam magis idoneū ſit. Quęſt.4.
Generatim de ijs, quę ingenium vel melius, vel deterius reddant. Art.1.
Quęſtionis initio propoſitę in varias partes diſceptatio. 2.
Controuerſię concluſio, & explicatio argumentorum. 3
Quod temperamentum vendicent quatuor anni tempora. Quęſt.5.

Art.1. De cauſa efficiēte, & fine quadripartitæ huiuſce varietatis.
2. Controuerſiæ ſolutio.
Quæ.6. De ætatum, & ſingularum partium temperamentis.
Art.1. Temperamenta ætatum.
2. Temperamenta ſingularum partium.

CAPITE IX.

Traduntur communes, & generales cauſæ tranſmutationis generabilium, & corruptibilium corporum; referunturque antiquorum ea de re opiniones.

CAPITE X.

Cauſam efficientem generationis, & interitus rerum eſſe lationes cœleſtes, à quibus hic inferior mundus, ac priuatim certa periodus vitæ cuiuſque viuentis dependet. Finalem autem cauſam circuitionis prædicti ortus, & corruptionis eſſe, vt corruptibilia, quoad poſſunt, perēnitatem obtineant.
Quæſt.1. An ſit neceſſe omnia viuentia naturæ conditione tandem extingui.
Art.1. Negatiuę partis argumenta.
2. Explanatio quæſtionis.
Solutio argumentorum. 3.

CAPITE XI.

De neceſsitate ſucceſsionis generationum: de duplici earum progreſſu, recto & circulari: num id, quod ſemel interit, idem numero reparari queat.
Num quod ſemel interijt per vim naturę idem numero redire poſsit, nec ne. Quęſt.1.
Veterū in propoſita quæſtione ſententia, eiusq́; improbatio. Art.1.
Opinio aliorum exiſtimantium id, quod interijt, poſſe idem numero redire per naturam. 2.
Approbatio contrariæ ſententię. 3.
Explicatio argumentorum ſecundi articuli. 4.
Poſsit ne ens permanens, quod eſſe deſijt, idem numero diuina virtute reparari, an non. Quæſt.2.
Quæ argumenta probare videantur non poſſe. Art.1.
Partem affirmatiuam omnino veram eſſe. 2.
Reſponſio ad primi articuli argumenta. 3.
Poſsit ne ſucceſsiuum, quod euanuit, diuina virtute idem reſtitui. Quæſt.3.
Negatiuæ partis argumenta. Art.1.
Partem, quæ affirmat, probabiliorem videri; nec aduerſariorum argumenta concludere. 2.

DE

# DE ORDINE DOCTRINÆ, DE SVBIECTO, INSCRIPTIONE, ET PARTITIONE huius operis.

POST doctrinam librorum de cœlo, in his de generatione, & corruptione, qui illos proximè ſequuntur, accedit Ariſtoteles ad præcipuas quaſdam naſcẽtium, & intereuntium corporum affectiones pertractandas: ita tamen, vt de ijs, magna ex parte, in commune tantùm diſſerat; eaſdem poſteà in reliquo ſuæ Phyſiologiæ progreſſu membratim explicaturus. Poſtulat enim ordo doctrinę, ſicuti ipſe in Phyſicę auſcultationis procemio, & lib. 1. de partibus animalium cap. 1. Hippocrates in lib. de natura humana, Socrates apud Platonem in Phædro, admonent, vt à confuſis ad diſtincta, à communioribus ad minus communia incedamus. *Ordo doctrinæ.*

Exiſtit nihilominus de re huic operi ſubiecta inter ſcriptores diſſidium. M. Albertus hoc loco tractatu. 1. cap. 1. ait eſſe corpus ſimplex, id eſt, elementum, prout mobile, ſeu mutabile eſt ad formam ſubſtantialem, vel accidentariam; non externam, qualis eſt locus, ſed internã, hoc eſt, in re ipſa, quã denominat, receptam. Adſtipulanturque huic opinioni Alexander lib. 1. Meteor. & Auerroes 1. de cœlo cõmento. 3. eidemque videtur fauere Ariſtoteles lib. 1. de ſenſu, & ſenſili cap. 4. vbi hoc opus appellat commentationem de elementis, & lib. 2. de anima c. 11. text. 117. vbi ſe hic de elemẽtis egiſſe profitetur; videlicet libro ſecundo, in quo de reciproca elemẽtorum commutatione, ortuque diſſerit. Verùm ſententia hæc non placet; quia Ariſtoteles, vti Philoponus annotauit, non de elementorum tantùm, ſed de miſtorum etiam affectionibus, quæ corpora generationi obnoxia communiter ſequuntur, in hiſce libris accuratè diſputat. Quod & ſe facturum pollicetur primo, & ſecundo capite primi libri; eodemque capite ſecundo Platonem coarguit, quod ſimplicium tantùm, non autem omnium corporũ, etiam miſtorum, generationem complexus fuerit. Quare non debuit Ariſtoteles doctrinam hanc ſub ea, quam in Platone requirebat, amplitudine, præterire. Ea verò, quæ in cõtrariam partem adducta ſunt, non concludunt. Nimirum ideo Ariſtoteles loco citato hoc opus cõmentationem de elementis vocat, quia de illis hoc ſecundo libro diſſeruerat: ſed enim ea diſceptatio non ſat eſt, vt propterea elementum debeat totius operis ſubiectum dici; cùm in eodem etiam miſtorum cõmunes proprietates, affectioneſque ex inſtituto pertractentur, vt paulò ante aduertimus.

*Opiniones variæ de ſubiecto.*

*Alexander. Auerroes. Ariſtote.*

*Plato ab Ariſto. reprehenſus.*

Vera ſententia de ſubiecto.

Statuendum igitur cum D. Thoma, AEgidio, Marſilio, Veneto, alijsque hoc loco, primarium quidem, ſeu principale huius operis ſubiectum eſſe corpus generabile, & corruptibile, ſeu, quod eodem recidit, corpus mobile, prout ſecundum formam ſubſtantialem mutari poteſt; id enim potiorem huius inſtituti partem, & curam vendicat, vt legentibus planum eſt. Quia tamen hic ſimul de alteratione, accretione, diminutione, nutritione, & miſtione, ex profeſſo agitur; dicendum, ſi non de præcipuo ſolùm, ſed de adæquato, ſeu quaſi adæquato ſubiecto loquamur, eſſe corpus mobile, non vt generationem ſubſtantialem dumtaxat, ſed vt alia etiam cōmunia mutationum genera ſubire poteſt; excepto motu locali, qui prout corporibus ſimplicibus conuenit explicatus eſt in libris de cœlo; vt autem in animantibus inuenitur, ſeorſim tractatur in libris de animalium inceſſu, & de animalium motu. Latio veró, quæ miſtis animæ expertibus accōmodatur, peculiarem, diſtinctamvè conſiderationem ab ea, quæ librorum de cœlo propria eſt, nequaquā exigit; propterea quod talia miſta non niſi facultate, ac vi dominantis elementi ſecundum naturam feruntur. Quidam ex ijs auctoribus, quos ſupra retulimus, prædictum ſubiectum vocant corpus mobile ad formam inhærentem, vt comprehenſis reliquarum mutationum ſpeciebus lationem excludant, quam aiunt ad ſolam formam externam, hoc eſt, ad locum tendere, & non in mobili, ſed in corpore ambiente ineſſe. Nos tamen ab hac appellatione abſtinuimus; quia 3. Phyſic. libro, eorum ſententiam probauimus, qui arbitrantur lationem non in corpore ambiente; ſed in eo, quod motu ipſo agitatur, inſidere; nec per ſe formam externam, ſed internam, videlicet, vbi, quod in ipſo mobili inſit, pro termino vendicare. Cap. 3. q. 2.

Motus localis corporū ſimplicium, pertinet ad libros de cęlo.

Inſcriptio operis.

Porrò inſcribitur hoc opus, de generatione, & corruptione; accepta, vt interdum fit, ab eo, quod excellentius eſt, nuncupatione. Quandoquidem generatio, vt ſuo loco exponemus, præſtantiſsima habetur intereuntium corporum affectio. Continet autem tota hæc tractatio, quæ duobus libris abſoluitur, tripartitam explicationem. Quatuor prioribus primi libri capitibus, de generatione & interitu, deque alteratione agitur; in reliqua eiuſdem libri parte de accretione, de contactu, de actione, de perpeſsione, & miſtione. Totum verò ſecundum librū occupat quatuor elementorum conſideratio, prout non ſolùm ipſa gignuntur, & occidunt; ſed alijs corporibus, quæ eorum permiſtione conſtant, naſcendi, & intereundi vices moliuntur.

Partitio.

Opinio Alexādri, & aliorū de quarto Meteor. lib.

Nonnulli, è quorum numero eſt Alexāder Aphrodiſienſis, quartum Meteororum librum hiſce duobus annectendum putant: quam quæſtionem recentiores quidam philoſophi adductis hinc inde argumētis vehementer agitarunt. Nobis, & ſi Alexandri opinio admodum probabilis videatur; contraria tamen, in qua fuerunt Olympiodorus, Philoponus, D. Thomas, Magnus Albertus, & alij, magis placet; eique ſuffragatur vulgata horum librorum diſpoſitio, & ordo, quem non parū antiquum eſſe conſtat, vtpote qui ante Alexandri tempora, vel ipſo Alexandro teſte, viguerit. Itaque quartum illum librum neque huic

operi

operi adiungēdum, neque à Meteorologia ſeparādum exiſtimamus. Nam quod aduerſarij obijciunt eius doctrinam, & ſcopum (quia videlicet in eo quatuor primarum qualitatum vis, & efficientia traditur) à Meteorologia alienum videri; haud ita eſt. Etenim cùm tribus primis Meteororum libris, de elementorum affectionibus diſſeruiſſet, & quo pacto miſta imperfecta in ſublimi aeris regione; itemque metalla, & lapides, aliaque eiuſmodi in terræ ſinu gignerentur, docuiſſet Ariſtoteles; vtile cenſuit ad rem magis illuſtrandam, quarto eiuſdem operis libro ea proponere, quæ in talium rerum ortu communiter cernerentur.

# IN PRIMVM LIBRVM ARISTOTELIS DE GENERATIONE, ET CORRVPTIONE.

## PROŒMIVM.

HVIVSCE libri doctrina hunc in modum diſtributa eſt. Duobus primis capitibus, tradito priùs operis totius inſtituto, veterum ſententias de rerum ortu, & interitu, deque diſcrimine inter generationem, & alterationem commemorat Ariſtoteles. Quod plerique auctores in tractandis cõtrouerſijs non ſine magno ſuſceptæ diſputationis fructu, & vtilitate præſtare conſueuerunt.

Quàm ſit vtile veterum ſẽtentias in medium afferre.

Primùm quia ſæpe eorum teſtimonijs, quorum eſt propter antiquitatẽ recepta auctoritas, ea, quæ à nobis dicuntur, fidem merentur. Non enim ſine cauſa dicitur in antiquis eſſe ſapientiam. Iob.cap.12. Quin id vſque adeò hominũ animis perſuaſum, infixumq́; eſt, vt magna ex parte, qui antiquiores contemnunt, & cornicum oculos, vt eſt in prouerbio, nituntur cõfigere, nouas inuehendo opiniones, dum propter nouitatẽ in admiratione eſſe volunt, deſpiciantur. Ariſtot. Secundò, quia, vt docet Ariſtoteles lib. 1. de anima cap. 5. text. 85. rectũ ſui, contrarijq́; iudex eſt; proindeq́; oportet rectè ſentientẽ non vera tantũ inſpicere: ſed quæ ab alijs falſò dicuntur, diſcernere. Sic enim & veritas magis ſplendet, & illius præſentia falſitas tanquam nebula radio ſolis euaneſcit. Ariſtot. Tertiò, quia non eſt æquum alios indicta cauſa damnare; & vt Ariſtoteles lib. 1. de cœlo cap. 10. text. 101. ait, dicenda tunc magis credentur, cùm eorum dogmatum, quæ in controuerſiam veniunt, iura priùs fuerint audita: præſertim cùm eos, qui veritatẽ dijudicãt, non aduerſarios, ſed arbitros eſſe oporteat. Ob has ergo cauſas Ariſtoteles ijs, quæ diximus, capitibus, aliorum ſententias, & rationes profert, perpenditque. Deinde tertio, & quarto capite, ex proprio ſenſu de rerum ortu & corruptione agit, declarans qua ratione generatio ab alteratione differat, & rurſus vt alteratio à cæteris motibus diſtinguatur. Tum capite quinto diſſerit de accretione, & decretione; quas oſtendit ab alijs motibus diſsidere. Et quia neque generatio, neque alteratio, neque accretio, aut decretio, ſine contactu, & actione, ac paſsione conſtare queunt; de his vſque ad caput nonum incluſiuè diſputat. Tandem capite 10. quid ſit miſtile; quid miſtio, quibus rebus conueniat, & quo pactò dari poſsit, pertractat.

Capi-

*Capitis primi Explanatio.*

DE [a] ortu autem } Summatim proponit ea, quę explicare inſtituit, videlicet quid ſit generatio, & corruptio, & quęnam communes rerum diſſolubilium cauſæ, rationesque exiſtant: item quam naturam obtineant alteratio, & accretio, & num alteratio, generatioque, vt diuerſis nominibus exprimuntur; ita eſſentia inter ſe diſtinguantur. Propoſitio operis.

b Quæ natura gignuntur } Diſſerendum ſibi ait de ijs, quæ natura, ideſt, per cauſas Phyſicas gignuntur, & occidunt; quia, vt D. Thomas, & Philoponus interpretantur, licet ea quoque generari aliquo modo dici poſsint, quæ artificum ingenio, & arte peraguntur, vt naues, ædificia, veſtes, quęque induſtria, & conſilio cōparantur, vt opes, amicitiæ, dignitates; de his tamen, cùm à Phyſiologicę diſciplinæ inſtituto aliena ſint, nihil in hoc opere ſcribere decreuit; ſed de illis, quæ per naturam gigni, & corrumpi ſolent. Quibus autem modis inter ſe conueniant, & diſsideant ea, quę per artem, & quæ per naturam efficiuntur, latè expoſuimus libro 2. Phyſic. c. 1. quæſt. 5. Quę natura gignuntur, & intereunt.

# ARISTOTELIS

## De generatione & corruptione.

### *LIBER PRIMVS.*

### CAPVT. I.

Textus. 1. *DE [a] ortu autē, ac interitu eorum, quæ [b] naturá gignūtur, intereūtque, vniuerſim de omnibus tū cauſas, tum rationes eorū diſtinguēdo, dicamus oportet: præ tereà quid accretio, quidque alteratio ſit: & eandemne alterationis, atque generationis eſſe naturā exiſtimare liceat, an diuerſam, perinde vt ipſis quoque nominibus diſcretæ ſunt. Priſcorum [c] igitur quidā generationem ſimplicem, abſolutamque alterationē eſſe inquiunt: quidam á generatione alterationem aliud eſſe. Nā [d] qui vniuerſum ipſum aiunt vnū quippiam eſſe, & omnia ex vno oriri cenſent, ij generationē alterationē eſſe, & qūod propriè generatur, id alterari dicant eſt neceſſe. at [e] qui plures, quā vnam, eſſe materias aſtruūt, vti Empedocles, Anaxagoras, & Leucippus, illas differre dicāt oportet: quāquā Anaxagoras ſuā profectò vocem ignorauit: quippe cū oriri ac interire, idem eſſe quod alterari dicat: at multa eſſe rerū elemēta, perindè atque alij, aſſerit. Nam [f] Empedocles corporea quidē elemēta, quatuor: omnia verò vná cum hiſce, quæ motu ciendi vim habent, numero ſex ait eſſe. Anaxagoras verò & Leucippus, & Democritus, infinita. Etenim Anaxagoras ea facit elementa rerū, quæ ſimilaria ſunt: vt os, carnem, medullā, cæteraque; quorum cuiuſque pars*

c Priſcorum igitur } Diſquirit num generatio ſimplex, & perfecta, qua videlicet non accidens, ſed ſubſtantia generatur, ab alteratione differat, propterea quod hęc ſcrutatio ad inueſtigandam generationis naturam, eiuſque ab alijs intereuntium rerū affectionibus diſcrimen, non parum conducit. Aliorum igitur placita, vti ſolet, in medium affert, vt ea iudicij ſui examine, quaſi ad Lydium lapidem, exploret, deinde quid veritati conſentaneum ſit, decernat. Ait autem è veteribus Philoſophis alios generationem diſtinguere ab alteratione, alios non diſtinguere. Quæſtiō. Veterū dogma de diſcrimine inter generationé, alterationemque.

d Nam qui vniuerſum } Quidam vnum dūtaxat principium, quod ens in actu, totaque rerum ſubſtantia eſſet, ratione cuius vniuerſum, ideſt, totus hic mundus corporeus, vnum quid diceretur, innexere. Hos ait Ariſtoteles, ſi modò conſtare ſibi ipſis velint, nullam inter generationem, & alterationem differentiam poſituros, vt mox patebit. Qui autem vnius principij, quo ſolo res phyſicæ conſtarent, aſſertores fuerint, & quam longè à veritate deflexerint, declaratum à nobis fuit primo libro Phyſicorum cap. 7. quæſt. 1. Aduerſus hoc placitum ſcripſit Ariſtoteles non ſolùm eo libro à text. 8. ad text. 47. ſed etiam tertio de cœlo à text. 42. vſque ad 15. & 2. huius operis in principio, & ibidem à text. 24. Item lib. 1. Metaph. à text. 1. ad text. 15. Prætereà Hippocrates in libro de Natura humana, Plato in Theæteto, & Sophiſta, Galenus primo de elemētis, Plutarchus primo de placitis Phil. Qui vnū rerum principium fecere.

Anaxagoras ſuam vocē ignorauit.

e At qui plures ⟩ Eos, qui plura principia faciunt, tueri poſſe inquit differentiā inter generationē, & alterationē, vt paulò poſt declarabit. Inter hos verò Anaxagoram ſuā vocē ignoraſſe inquit, propterea quod, vt interpretatur Philoponus, generationē vocabat id, quod re vera generatio non eſt. Vel, vt D. Thomas exponit, quia cùm poſſet generationem, & alterationem ab ſe mutuò ſeparare, ſi ſibi ipſi congruenter loqueretur, & in fundamentis, quæ de principiorum multitudine iecerat, perſiſteret: eas tamen nullo modo ſecreuit.

Empedocles quatuor fecit rerum principia.

f Nam Empedocles ⟩ Qui philoſophi plura rerum principia ſtatuerunt, & quę nā illa ſint, declarat. Empedocles quatuor inuexit corporea, id eſt, materialia principia, terram, aquam, aerem, ignem, quibus adiecit duo mouentia; nempè amicitiam, quæ res in chaos & aceruum congregaret; litem, quę eaſdē inde abiungeret. Sed de Empedoclis, Leucippi, Democriti, & Anaxagorę, aliorūque veterū ſententijs, qui plura eſſe rerū initia arbitrati ſunt, egimus in primo phyſicorū c. 7. q. 1.

*pars eandem cū toto ſortita eſt appellationem. Democritus autē & Leucippus ex indiuiſibilibus corporibus, quæ & multitudine & formis infinita ſunt, cætera componi dicunt, atq; hæc inter ſe ſe differre per illa, nimirū ſitu, ac ordine eorum, ex quibus cōſtāt. Porrò g Anaxagoras, & Empedocles cōtrario dicere modo videntur: ille enim terram, aquam, aerē, & ignē, elementa quatuor, eaque ſimplicia magis, quám carnem, os, & id genus ſimilaria. Hic verò hæc quidē ſimplicia, elementaque, illa verò, terrā, inquam, aquam, aeremque & ignem cōpoſita: vtpoté quibus gignendis illa præſtent ſemina. Igitur h qui ex vno omnia conficiunt, generationē & corruptionem eſſe dicant alterationē eſt neceſſe. Nam ſubiectum ipſum ſemper idem, atque vnū manere dicant oportet: quod autē tale eſt, id dicim⁹ alterari. Qui i verò plura genera ſtatūnt, á generatione alterationem differre cenſeant neceſſariū eſt. Cúm enim ea coeunt, aut diſſoluuntur, generatio, corruptiové fit. Quocirca k & Empedocles ad hunc canit modum: Nullius eſt natura, ſed ipſa.*

*Miſtio, miſtorūque prius diuulſio ſolum. Patet igitur ſermonem eorū ſuppoſitioni eſſe accōmodatum: cùm hoc pacto dicunt, ac eos ad hunc dicere modum. At L neceſſariū & illis quoque eſt, vt alterationē dicant á generatione quippiam eſſe diuerſū: fieri tamen haudquaquam poteſt iuxta ea, quæ ab eis dicuntur. Quod autē hoc rectè dicamus, facile eſt perſpicere: nā quieſcēte ſubſtātia, vt in ea mutationē in magnitudine, q̄ vocatur accretio, & decretio, ita & alterationē fieri videmus. Verū enī verò fieri nequit, vt alteratio fiat per ea*

*quæ*

Diſſidiū inter Anaxagoram, & Empedoclem.

g Porrò Anaxagoras ⟩ Empedocles aſſerebat os, carnē, aliaq; huiuſmodi ſimplicia eſſe; quatuor autē elementa, eſſe mixta. Contra verò Anaxagoras hęc ſimplicia, illa mixta appellabat. Huiuſce diſcrepantiæ ratio fuit, quia Empedocles credebat res fieri per ſecretionē á mixto, in quo latebant, proindeq; cū videret ex terra, aqua, aere, & igne alia corpora generari; in eam ſententiam venit, vt diceret alia corpora in elementis contineri, atque adeò elemēta eſſe mixta. At Anaxagoras oppoſitū aſſeruit; quia arbitrabatur res non per ſecretionem, ſed elementorū coalitu effici; atque ita elementa, quæ ad carnem, & oſſa, cæteraq; id genus coagmentanda veniuntur, ſimplicia vocabat.

Qui philoſophi generationem ab alteratione diſtinguere nequeant.

h Igitur qui ex vno omnia ⟩ Illos, qui ex vno tantum principio, quod ſit ens in actu, omnia conſtant, generationem ab alteratione diſtinguere nō poſſe, ex eo ſuadet, quia qui ita ſentiunt affirmare coguntur eiuſmodi principiū neutiquā in aliud diſſolui, ſed idē omnino perpetuò manere (alioqui iā nō eſſet vnū, & ſemper idē, atq; immobile principiū, quale ponūt) mutatio veró, quæ accidit manente eodē prorſus ſubiecto actu, nullaq; facta mutatione penes ſubſtantiā (intellige, re etiā immota ſecundū locū) non eſt alia, quā alteratio, quia neceſſariò circa qualitates verſabitur. Si quis autem petat cur talis mutatio nō poſſit eſſe è numero earum, quibus viuentia nouā quantitatem acquirunt, quā accretionem vocant, reſpondendū erit eā accretionem ſemper eſſe coniunctam cum nutritione, quę eſt partialis quędā generatio tendens ad ſubſtantiam: Ariſtotelem autem velle mutationem, quæ fit prædicto illo modo, manente videlicet eodem prorſus ſubiecto, ita vt non oporteat, etiam ſecundum aliam mutationem, rem ſimul mutari penes ſubſtantiam; talem inquam mutationem ſeruatis circunſtantijs, & conditionibus, quas diximus, neceſſariò debere eſſe alterationem.

Dubium.

Reſponſ.

i Qui verò plura ⟩ Oſtendit apud eos, qui plura rerum principia dari arbitrati ſunt, cōſtare poſſe differentiam inter generationem, & alterationem. Quandoquidem poſſunt ea principia non ſolū in vnū coire, viciſſimque diſiungi; ſed etiam ex ijs compoſita ſecundum qualitates variari. Quare cùm

re cùm

re cùm primo modo res gignantur, ſecundo intereant, tertio alterentur; fit vt iuxta eorum dogma alteratio à generatione, & corruptione diſtingui queat.

K Quo circa & Empedocles) Ex verbis Empedoclis, qui res Phyſicas metro ſcripſit, elicit eũ putaſſe dari generationem, fieriq; illã coeuntibus elementis: cũ dicat nullius rei naturã, id eſt, vt D. Thomas interpretatur, nullius rei formã eſſe; hoc eſt, nulli mixto aliquã formã eſſe perpetuã, ac perennem; ſed omnes formas miſtione elementorũ aduenire, eorundemq; diſſolutione abſcedere.

l At neceſſariũ & illis) Licet Philoſophi, qui plura principia induxerũt, ſi quædã eorũ dicta ſpectẽtur, generationẽ ab alteratione ſeparauerint, ac diſtinxerint; tamẽ ſi alia ipſorũ decreta expendãtur, fieri nõ poterit, vt hæc inter ſe diſiungãt. Aiũt enim qualitates, quarũ acceſſu alterari res dicimus, eſſe elementorũ formas: has verò nũquã deponi, aut denuò introduci, eo quod elemẽta, quæ ex iis coaleſcunt, cũ ſint prima rerũ initia, immortalia perpetuaq; eſſe oporteat. Attribuebant autẽ ſingulis rebus peculiares ſuas qualitates, vt Empedocles ſolẽ, quẽ igneæ naturæ eſſe arbitratus eſt, cãdidũ, ſeu nitidum, calidũq; appellabat; aquã verò frigidã ſimul & obſcuram, quòd aer pluuiis obſcuretur. Adiiciebant præterea nõ poſſe ex igni aquã effici, vel ex aqua terram, aut aliud quoduis elementum in aliud cõmutari: quia non credebat elementa coagmentata eſſe ex materia, & forma, atq; ita vnius forma intereunte gigni poſſe aliud; ſed elementa primas rerũ materias, primaq; ſubiecta, quę in aliud diſſolui non poſſent, conſtituebant. Adde etiã quod dum poſſe ignẽ in aquam mutari inficiabãtur, negare conuincuntur poſſe materiam ignis, qualitatibus aquę diſponi, iiſque alterari, cùm alteratio ſit gratia generationis: atque ita tam circa has, quàm circa alias eiuſmodi affectiones alterationem tollebant.

Veterum in dictis repugnantia.

Empedocles ſolem igneæ naturę faciebat.

*quæ dicunt, qui plura vno principia faciũt. Siquidẽ affectus ipſi, iuxta quos id accidere dicimus, differẽtiæ ſunt elemẽtorũ, quod genus ſunt, caliditas, frigiditas: albedo, nigredo: ariditas, humiditas: mollitudo, durities: & cæteræ aliæ, vti & Empedocles ait.*

*Albentem penitus ſolem, calidumque videri:*

*Aſt imbrem inter cuncta nigrum, ſimul atque rigentem.*

*Similiter, & de reliquis quoque definit, pronuntiatq;. Quarè ſi fieri nequeat, vt ex igni oriatur aqua, aut ex aqua terra; neque profectò ex albo quidquam nigrũ fiet, aut è molli durũ. Eadẽ & de cæteris quoque ratio eſt: hoc autem eſt alteratio. An m ne etiam perſpicuũ eſt oportere ſemper contrariis ipſis vnã ſubiicere materiam ſiue loco, ſiue accretione, decretione vè, ſiue alteratione mutatio fiat? Præterea ſimiliter & hoc alterationẽ eſſe eſt neceſſe. Etenim ſi alteratio ſit, & ſubiectũ eſt elementum vnũ, & omnium, quæ in ſe ſe viciſſim mutantur, vna eſt materia; & ſi ſubiectũ vnũ ſit, alteratio eſſe ſolet.*

Textus. 2. *Empedocles n igitur & hiſce, quæ apparent, & ipſe ſibi cõtraria dicere videtur. Nam elementorũ nullum ex alio fieri, ſed ex eis cætera omnia, & cùm vniuerſam naturã in vnũ coegit præter diſcordiã, ex illo vno rurſus quoq; fieri aſſerit. Quare ex vno quodam, vt patet eorum, quæ differentiis quibuſdã, ac effectibus diſtincta, ſeparataq; ſunt, aliud aqua, aliud igni factũ eſt: quemadmodum ſolem ait album & calidum, terrã verò grauem atque duram. Detractis igitur hiſce differentiis (detrahi enim poſſunt; nam genitæ ſunt) tũ ex aqua terram, tũ ex terra aquã neceſſariò fieri conſtat. Eodẽ pacto &*

m An ne etiã perſpicuũ eſt) Oſtendit adhuc philoſophos illos alteratione è medio tollere: quia ſiue res loco moueantur; ſiue accreſcant, aut decreſcant, ſiue alterationẽ, aut aliã quãuis mutationẽ ſubeant; dari oportet vnũ cõmune ſubiectũ, quod contraria viciſsim recipiat. Hoc autẽ illi dari negant, quia non admittunt aliquod ſubiectum, quod ſecundũ affectiones, aut formas varietur, vt paulò antè dictũ fuit. Erit tamen cui fortaſsè videatur repugnare ſibi Ariſtotelẽ, cũ ſuperiùs docuerit eos, qui vnũ tantũ ſubiectũ ponebant, alterationis & generationis naturã demoliri: nũc verò aſſerat, ad omnẽ mutationẽ ſuſtinendã oportere vnũ cõmune ſubiectum ſupponi. Sed occurrendũ anteà locutum fuiſſe Ariſtotelem de ſubiectò vno rerum naturalium, quod eſſet ens in actu perfecto, & completo, atq; immutabile quoad ſubſtantiã, quale ii philoſophi ponebant: liquet autem vnico illo principio, ſubiectoq; conſtituto tolli generationem, vt fuit à nobis antea declaratum. Num verò cùm Ariſtoteles ad mutationes ſubeundas requirit ſubiectũ vnũ; loquitur de ſubiecto, quod in generatione quidẽ ſit ens in potentia, id eſt, nuda materia; in cęteris autẽ mutationibus ſit ens in actu, hoc eſt, materia actuata per formã ſeparabilẽ, quale ſubiectũ veteres illi nõ agnoſcebãt.

Neceſſariò dari commune ſubiectũ contrariorũ.

n Empedocles igitur) coarguit Empedoclẽ, quod & ſẽſui, & ſuis dictis repugnãtia enũciarit. Sẽſibus, quia reciprocã elementorũ in ſe trãſmutatione negauit: ſuis verò dictis, quia cũ vnũ elemẽtũ ex alio

Reprehenditur Empedocles.

nullo modo gigni poſſe ſtatuiſſet, eſto omnia elementorum coitione naſcantur; adiecit quoties è rebus antea diſsipatis, ſed poſteà fœdere amicitię collectis, ſphærus ille coaleſcit, rurſùm violato fœdere proſilire inde elementa. Quo iam concedit fieri illa tum ex alio, tum ex ſe. Ex alio, quia ex ſphæro, ſiquidē ait ex illo, pręuia diuerſarum affectionum tranſmutatione, per litem prodire ſolem, id eſt, ignem ( nam ſoli & igni eandem naturam, vimque dabat Empedocles ) calidum & leuem; & terram grauem ac duram; & denique vnumquodque eorum, quæ proprietatibus ſuis differunt. Vnde iam conſtat prędictas differentias denuò elementis aduenire, deindè auferri poſſe, quia quod de nouo aduenit, abire, amittiq; non repugnat; atque ita potuerūt ex illo aceruo gigni terra & aqua, & vnumquodque aliorum elemētorum, ac deinde rurſus interire. Ex ſe, quia cùm omnia, vt ille prædicat, in ſphæro confundātur, amiſsis peculiaribus affectionibus, quę recuperari queant, fiet vt materia ignis ſubijciatur formę aquę, & contra: atq; ita ex igni aqua, & quodvis elementum ex alio gigneter, immo & nunc quoque in hoc ſtatu rerum idem euenit agentibus in ſe mutuò elementis, per qualitates contrarias, quę remoueri ab eis poſſunt, quemadmodum & mutua earundem actione ex Chao ſingula prodierunt: nec enim in illo vnius dūtaxat, ſed omnium elementorum virtus continebatur.

**Sentētia Empedoclis de ſolis, ignisq; natura.**

*cæterorū quodque: neque tū ſolùm, verùm etiam, nunc ſi modò mutentur iuxta affectus. Nam de numero eorum ſunt, quæ adeſſe, & abeſſe rurſus poſſe dixit: præſertim adhuc inter ſeſe pugnantibus diſcordia & concordia. Quocirca & tunc ex vno orta ſunt atque genita: non enim vniuerſū ipſū ignis, aer, aqua & terra, cū adhuc vnū eſſet, erat.*

*Sed o & id quoque nequaquam liquet, vtrum ſcilicet ille ipſum vnum principium ſtatuere debeat, an ipſa multa, ignem, inquam, & terram, & quæ cum hiſce eiuſdem ſunt ſeriei. Nam quo ipſum vnum, vt materia, ſubijcitur, ex quo mutatione, quæ motionis opera fit, terra & ignis fiunt, elementum eſt. At quo id quidem ex compoſitione fit coeuntibus, inquam, illis, illa verò ex diſſolutione: hoc elementi appellatione digniora ſunt, naturaq́ priora.* *Textus.3.*

o Sed & id quoque } Rurſus Empedoclem reprehendit, quod perplexè, aut parum ſibi conuenienter philoſophatus fuerit. Namque dum ait elementa ex ſphæro, vti ex ſeminario, vel tanquā ex informi materia per litem diſtingui, & enaſci, videtur ipſum ſphærum elementorum principium facere: dum verò ex elementis per amicitiam coeuntibus ſphærum conflat, elementa ipſa ſphęri principia conſtituit.

**Parum ſibi conſtare Empedoclem.**

## *Capitis ſecundi Explanatio.*

**Diminutè Platonem de generatione diſputaſſe.**

OMnino itaque a } Rurſum proponit de quibus agere inſtituit, nempe de generatione, & corruptione ſecundum quas dicitur quidpiam ſimpliciter generari, & corrumpi. Itemque de motibus, qui ordinantur ad generationem ſimplicem, ideſt, de alteratione, & accretione, de quibus, vt ait, ſtrictè admodum, & tenuiter Plato diſputauit. Non enim de omni mutatione, ſed de generatione tantùm & interitu egit. Nec de omnium rerum ortu, ſed de elementorum origine duntaxat. Quin verò nemo ex antiquis philoſophis de accretione, alteratione, miſtione, aut de vllo alio mutationum genere, aut de ratione, & modo agendi, vel patiendi accuratè, ſed ſuperficiaria tantum ratione diſſeruit, pręter Democritum, qui harum omnium rerum cognitionē tradere conatus eſt, & ſi nequaquam earum difficultates enodarit. Priuatim autem quod ad accretionē ſpectat, licet veteres rectè pronuntiarint eam perfici acceſſione rei ſimilis, quia oportet alimentum reddi ſimile & cognatū rei, in cuius ſubſtantiā vertitur; quo tamen pacto id fieret, quantum opus erat, non explicarūt.

*OMnino itaque a de generatione, & corruptione ſimplici abſoluta vtrum ſit nec ne, & quo pacto ſit; & de cæteris abſolutis motibus, verbi cauſa, de accretione, & alteratione, dicendum eſt. Plato igitur de gene-* *Textus.4.* *Textus.5.*

Demo-

b Democritus autem ) Democritus & Leucippus arbitrati ſunt nihil eſſe aliud generationem, quàm atomorum, ſeu corporum inſectilium coitionem, interitum verò ſecretionem eorūdem: ac tunc rem alterari, cùm eiuſmodi corpuſcula in ipſa compoſitione penes ſitum ordinemque variè commutantur.

Democriti, & Leucippi falſa opinio de generatione rerum.

c Cæterùm quoniā ) Graue fuit inter gentiū Philoſophos diſsidiū de ratione inueniendæ, dijudicandæq; veritatis, vt conſtat ex ijs, quæ tradit Ariſtoteles lib. 4. Metaph. c. 5. & 6. Tullius. 1. Academic. quæſt. Numenius in lib. de diſſenſione Acad. alijq; ſcriptores. Quidā veritatē inacceſſam, & incōprehenſam; alij eandē in promptu eſſe cōtendebant. Nonnulli eā ſenſu, plerique phantaſia, quidā intellectu, alij omnibus his modis reperiri, & æſtimari poſſe arbitrabātur. In hac ſententiarū colluuione Leucippus, & Democritus, vt loco citato Ariſtoteles refert, conuincūtur cēſuiſſe id eſſe verū, quod verū eſſe appareat, & quia diuerſis hominibus diuerſa, & cōtraria videntur, imo & pene infinita, ſicuti opinionū varietas teſtatur, vt horū omniū ratio aſsignari poſſet, pro rerū principijs infinitas atomos inuexere, alias leues, alias aſperas, rotundas, angulares, curuatas, aduncas, quarum tranſpoſitu res alio, & alio modo ſenſum afficerēt: quādoquidē iſtiuſmodi cōmutatio magnā ad id vim obtinet, etiam dū fit acceſſu vnius, vel minimæ particulæ, vel dū vna pars in ipſo toto ordinem, & ſitū variat. Quēadmodū ex ijſdem literis variè copulatis oritur omnis diuerſitas in dictionibus, quibus comœdia, & tragædia conſtat.

Veterum dogmata de ratione dijudicandæ veritatis.

Infinitudo & varietas atomorum.

*generatione, ac corruptione quomodo rebus ipſis competāt, conſiderauit ſolùm: nec id quidem de omni ſed elementorum quomodo verò carnes, aut oſſa, aut quippiam aliud tale gignatur, nequaquā. Inſuper nec de alteratione, nec de accretione, quonam pacto rebus ipſis contingant. Ad ſummam, de nulla mutatione, niſi ſuperfice tenus, quicquam vllus definiuit, præter quam Democritus, cui omnia fuiſſe curæ videntur, ſed in hoc, nempe qua via ac ratione fiant, iam diſcrepat. Nam nec de accretione quiſquam quicquam definiuit, ſicuti diximus, quod non vel quiuis dicat. Dixerunt enim res ipſas acceſſu rei ſimilis augeri: id autem quonam pacto fiat, nihil prætereà dixere. Nec demiſtione, nec de aliorum, propé dixerim, vllo, verbi cauſa, de actione, & paſsione, quonammodo aliud agat, aliud patiatur in actione naturali. Democritus b autem & Leucippus figuras cōcinnāt, ex quibus alterationem faciunt, atque generationem: congregatione quidem, & ſegregatione generationē atque corruptionem: ordine verò & poſitu, alterationem. Cæterum c quoniam quæ apparent: ea vera eſſe putabāt, contraria autem & infinita ſunt, quæ apparent, infinitas fecere figuras, ita vt per compoſiti tranſmutationem idem contrarium videatur alij, atq; alij; trāſmuteturq; inſerta re puſilla: & omninó permutato vno quopiam diuerſum quid appareat: quā-*
Text. 6. *doquidem Tragœdia & Comœdia, eiſdem fiunt literis. At d cùm generatio & corruptio diuerſum quid eſſe ōnibus ferè videātur, & ea, quæ ſunt cōgregatione, atq; ſegregatione, oriri, ac occidere, & demutatione affectuū alterari: de his cōtemplentur, qui hoc inſtituti habent, oportet: hæc autem & multas, & quæ rationis fines nō egrediūtur, dubitationes habent. Nā ſi generatio cōgregatio ſit, multa ex eorum numero, quæ fieri nequeunt, euenire ſolēt. Sunt autē rurſus aliæ rationes, quæ vrgent, quæq; haud facilé ſolui poſſunt, quod*

d At cùm generatio, & corruptio ) abolitis iā eorū dogmatis, qui generationē, & corruptionē non diſtinguebant; cōmunem ſui temporis opinionē eſſe ait differre illa mutuò; & tūc res gigni, cū inter ſe iungātur; interire, cùm diſſociātur; alterari verò, cū penes affectus, qualitatesvè mutationē ſubeunt: ſed in hac dubitatione pertractanda cuiuſlibet partis aſſertores difficultatibus vrgeri, ac premi. Nam ſi generatio nihil aliud ſit, quàm congregatio; multa ſequuntur incōmoda, & impoſsibilia, vt progreſſu patebit: & è contrariò ijs, qui generationem aliud quid eſſe pronuntiant, multa occurrunt argumenta, quę non parùm negotij faceſſunt; quę tamen omnia, vt res, prout oportet, explicetur, diſſoluenda ſunt.

e Principium autem ) oportere inquit conſtituere, nū ad ſubeundas mutationes, de quibus hîc agimus, dari oporteat magnitudines indiuiduas, an verò nullæ tales magnitudines in natura rerū exiſtāt. Deinde ſi eæ dētur, verū ne corpora ſint, vt Democrito, & Leucippo videbatur, an potiùs plana, hoc eſt, ſuperficies, ad quas corporū ſectio terminetur, vt Plato in Timęo docuit.

Quęſtio de magnitudinibus indiuiduis.

hoc

Anteponitur opinio Democriti & Leucippi ſententię Platonis.

f Hoc igitur ipſum } Et ſi tã Democriti, & Leucippi; quã Platonis opinio, quę iã in libris de cœlo confutata fuit, à vero abſit; magis tamen abſurdã eſſe inquit Platonis ſententiã. Illi enim dũ corpora naturalia ex atomis conſtant, poſſunt vtcũq; rationē, cauſáq; reddere naturaliũ mutationũ; nimirũ res, verbi cauſa, alterari per conuerſionē atomorum ſecundũ aliũ & aliũ contactũ, & diuerſum ordinē, ſitũmq; partiũ, ac figurarũ differētias. Vnde & Democritus aiebat colorem, cæteraſq; id genus qualitates nullum eſſe fixum & ſtabile in rebus obtinere; ſed videri rē denuò colorari, cùm atomi ſecundũ ordinē & poſitionē conuertuntur: quēadmodum & collũ colũbæ, ex diuerſo ad lucē ſitu varijs coloribus fucatur. Plato autē dũ corpora ex ſuperficiebus conficit & in ſuperficies reſoluit, nullã harũ mutationũ probabilem cauſam afferre poteſt; cũ ex ſuperficiebus non niſi ſolidum quid, Mathematicũ, ac ſine materia, proindeq; nullius phyſicæ qualitatis particeps, oriatur.

*fieri non poteſt, vt quicquam aliter ſe habeat ſi generatio cõgregatio non ſit, aut quæ omnino generatio non eſt, aut eadem alteratio eſt atque id quanquã defficile, enitendũ eſt ſoluere. Principiũ e autem horũ omniũ eſt vtrum, ea quæ ſunt, generē tur hoc pacto, accreſcãt, alterēturque, & hiſce cõtrarias ſubeant mutationes magnitudinibus primis nullã diuiſionē admittentibus, an nulla ſit magnitudo indiuiſibilis; hoc enim intereſt quamplurimũ. Et rurſũ ſi magnitudines ſint inſectiles, vtrũ hæc corpora ſint, vt Democrito placet, atq; Leucippo; an plana, vt in Timæo ſcribitur. Hoc f igitur ipſũ fieri inquam diſſolutionē ad plana vſq;, cancellos egreditur rationis: id quod alio quoq; loco iam diximus. Iccirco magis conſentaneũ rationi fuerit corpora non poſſe diuidi. Verũ & hæc quoq; perabſurda ſunt: ſed tamen hiſce alterationē, generationēq;, vti dictũ eſt, facere, conuerſione & attactu, atq; figurarũ varietate permutando idē cõtingit: quod ſanè Democritus facit. Quocirca non eſſe colorē aſſerit: nam res ipſas per conuerſionē colore tingi, cenſet. At illis, qui in plana diuiſionē faciunt, minimè. Nihil enim planis cõpoſitis præterquã ſolida, fit: quãdo nulla ex eis qualitas, effectuſvè gigni poteſt. Sed g cur parũ valeant, quæ conſentanea ſunt perſpicere, cauſam habet ipſa experientiæ vacuitas. Quãobrem quotquot diutiùs circa rerũ naturaliũ ſpeculationē verſati ſunt, ij eiuſmodi principia, quæ inter ſe cohæreant, conſentiãtq; quàm plurimũ ſupponere magis poſſunt. At qui è multis rationibus, quænã veræ ſint, hauquaquã expendere cõſueuerunt, paucis inſpectis facile pronuntiãt. h Porrò ex hiſce perpendere etiã quis poteſt, quàm inter eos interſit, qui naturaliter, quiq; via rationali quampiã exercent conſiderationē. Nã de eo, quod eſt, magnitudines eſſe indiuiſibiles, nonnulli quidem inquiunt, quod ipſe, idealiſq; triangulus,*

Text. 7.

Text. 8.

g Sed cur parum valeant } Docet Platonicos ideò à veritate aberraſſe, quia experientiã, quę philoſophię mater eſt, neglexerunt, & à rebus, quæ ſub ſenſũ cadunt, ad mathematicas & intelligibiles contēplationem auocarunt, atque ex ijs, quę in cõmune conſiderabant, paucis in ſingulari perſpectis, temerè, & abſque diligenti perſcrutatione de rebus naturalibus ſententiã tulerunt, quod tamen non accidit ijs, qui conſultis ſenſibus, & experientiæ fide adhibita in phyſiologię ſtudio verſantur. Lege Beſſarionē lib. 2. c. 9. contra calumniatorē Platonis, vbi explicat, quonãmodo ſit intelligendus Plato cùm naturaliũ rerũ principia in figuras planas, & lineas reſoluit.

Philoſophię parens experientia

h Porrò ex hiſce ) Oſtendit ex ijs, quę præ manibus habentur, deprehendi poſſe quantũ differant in inueſtigatione veritatis, qui phyſicè res conſiderant, vt Democritici; & qui rationibus non proprijs, ſed cõmunibus & abſtractis nitũtur, vt Platonici. Hi enim probant dari magnitudines indiuiſibiles, quia alioqui etiã idea magnitudinis, & trianguli in multas magnitudines, & triangulos diuideretur, quod eſt contra rationem ideę, cuius natura efflagitat, vt omnimodis vnũ quippiã ſit. Democritus autem eiuſque alumni afferebant rationes à naturæ fontibus hauſtas, magiſque ad rem phyſicam idoneas, vt ijs, quę poſteã dicentur, planum fiet.

Idea vnum-quid Platonicis.

i Nam res ipſa ] Quia Democriti ſententiã, viamq. probandi Platonicę antepoſuerat, vt id iure ab ſe factũ demonſtret, rationē Democriti in mediũ affert, quę in hunc ferè modũ concluſa erat; Aut corpus cõſtat ex atomis inſectilibus, aut ex ſemper diuiduis corpuſculis: ſi detur primum, habetur propoſitum: quod autē poſterius admitti non debeat; probatur; ſi enim corpus ex ita diuiduis conflatũ ſit, nihil obſtabit quominus aliquando non modò per mediũ, ſed quantũcumque

Ratio Democriti.

diuidi

diui poteſt, hoc eſt, in omnem ſui partem re ipſa diuidatur, licet ſectio non ſimul fiat, ſed ſucceſsione quadam: quod ſi fieri poteſt, nullum ex eo ſequetur abſurdum (quemadmodū nullū ſequetur, ſi corpus in multa partiū millia diuidatur, & ſi nemo vnquā fortaſſe diuiſurus ſit) quādoquidem ex poſsibili adducto in actum nihil exiſtet incommodi: At quod multò ſecùs res habeat, quodque plurima à veritate rationeque aliena neceſſariò colligantur diuiſo in omnes partes corpore probat vlteriùs Democritus.

Poſsibili in actū adducto nihil exiſtet incommodi.

K Quod ergò erit reliquum) Ratio Democriti colligens abſurda, quę ſequuntur, ſi corpus in omnem ſui partē diuidatur; ita ſe habet: vel ſectione peracta remanebunt magnitudines, vel nō magnitudines, vel puncta, vel affectiones accidentiavè, aut nihil. Quorum omnium nullū rectè dici poteſt. Ac primùm quod nequeat reſidua eſſe magnitudo inde patet, quia cùm magnitudo omnis conſtet partibus, in quas ſecari poteſt, dabitur poſt diuiſionem omnino perfectā diuiſibile nō dū diuiſum, quod repugnat.

L Ea, ex quibus componitur) Colligit ſi abſoluta diuiſione neq; magnitudo remaneat, fore vt corpus ex ſolis punctis coaleſcat, ac proinde vt magnitudo ex ijs, quæ magnitudinis expertia ſūt conſtet: vel etiam vt id, quod reſiduum eſt, nihil omninò ſit. Quod tamen poſterius minimè cōcedi poſſe ex eo patet, quia quidquid in nihilum reſoluitur, id ex nihilo productum eſt. Quod verò ita ſe habet, nihil omninò eſſe poteſt. Quarè ſequitur eiuſmodi corpus nullum veri entis gradū, ſed inanem tantum ſpeciem, ſimilitudinemque exiſtentis poſsidere. Aduerte cū dicitur id, quod ex nihilo productū eſt, eſſe nihil; hoc quidē loco, vt ex orationis contextu patet, intelligendū id eſſe de eo, quod dicitur effici ex nihilo tanquam ex parte cōponente: quod pronuntiatū veriſsimū eſt, ſiue de naturali, ſiue de diuina potentia loquamur. Si tamen intelligatur tanquam ex termino, licet naturaliter non poſsit quicquā fieri ex nihilo; diuinitus tamen poteſt: ſiquidē facultas diuina, quę omnē naturæ vim ſuperat, ex nihilo res efficere valet per creationem vt lib. 1. Phyſicorum cap. 7. q. 1. art. 2. & lib. 8. eiuſdem operis cap. 2. diſſeruimus.

Ex nihilo nihil per vim naturæ.

*plures erit. At Democritus rationibus proprijs, naturæq; ac cōmodatis perſuaſus eſſe profectò videbitur. Quod autē dicimus, in progreſſu euadet apertū. Nam res ipſa dubitationē habet, ſiquis corpus aliquod, magnitudinemq; omninò atq; omni ex parte diuiſibilē eſſe ſtatuat, atq; fieri poſſe, vt penitus diuidatur. Quid enim erit, quod effugiat diuiſionē? nam ſi omni ex parte, atq; omninò ſit diuiſibile, & ita diuidi queat, ſiue ſimul erit hoc omni ex parte diuiſum (& ſi non ſimul dicatur) ſiue id fiat, nihil accidet impoſsibile; igitur & ſecundū mediū, haud ſecus: Et in ſumma, ſi omni ex parte, ac omnino diuidi aptū ſit, ſi diuidatur, nullū emerget impoſsibile, quando ne vllum quidē oriatur impoſsibile, ſi in decies millies dena millia diuiſum ſit: quanuis fortè nemo vnquam diuidet. Itaq; cùm corpus ipſum omninò tale ſit, diuidatur: quid ergò erit reliquū? magnitudo? id enim fieri non poteſt: eſſet enim quippiā haud diuiſum, at erat omni ex parte, omninoq; diuiſibile. At verò ſi nec corpus, nec magnitudo relinquatur; diuiſio tn̄ ſit, aut corpus ex punctis cōſtabit, & ea, l ex quibus cōponitur, magnitudine carebunt, aut nihil omninò erit. Quare ſiue factū ex nihilo, ſiue compoſitum ſit profectò totū ipſum nihil præterquā apparēs, erit. Similiter m ſi ex punctis conflari dicatur quantū non erit. Nam cùm vnà in magnitudine ſe ſe tangunt, & magnitudo vna, perpetuaq; eſt, atq; illa ſimul ſunt, nihilo maius totū ipſum reddunt; quoniā ſi totū in duo, aut plura diuidatur, nihilo ipſum minus, quā priùs euadit. Quare puncta etiā ſi ōnia coagmentata ſint, nullā efficiunt magnitudinē. Verū n enim verò ſi quid tale inter diuidendū corpus fiat, quale eſt ramentū illud, quod excidit, dū quippiā ſerra ſecatur, atque hoc pacto corpus aliquod è magnitudine abſcedat, idē ſermo recidit, quomodo, inquā, diuiſibile illud ſit. Quod ſi o id, quod abſcedere ſolet, corpus n̄ ſit, ſed forma quadā, affectusue ſe*

m Similiter ſi ex punctis) Non poſſe corpus ex ſolis punctis conſtitui inde ſuadet, quia ſequeretur corpus non eſſe quippiam quantū & extenſum. Nā ſi puncta immediatè ſibi cohęreāt, vniantur q; in magnitudine, cū indiuiſibilia addita, aut detracta non efficiant corpus maius, minusvè, quēadmodū vno aut pluribus eorū ablatis non euadit magnitudo minor: certè nequibunt pūcta quantitatē vllo modo extendere, imò nec vlla vera quantitas ex ijs, etiā in vnū confertim coeūtibus, concreſcet.

Magnitudinem non ex ſolis punctis conflari.

n Verùm enim veró ) Siquis dicat peracta diuiſione relinqui particulas ſimiles ramentis, quæ è nonnullis corporibus, cū diſſecantur, decidere conſueuerunt; eadem ratio redibit: vel enim eæ particulę diuiduæ erunt, vel indiuiduę, quorum vtrumlibet confutatum eſt.

Confutatio reſponſiōis.

o Quod ſi id, quod ) Contenderet fortaſſe aliquis puncta conſtituere corpus ratione alicuius affectus, hoc eſt, qualitatis, qua prædita ſint, hanc verò diſſectione amitti, & euaneſcere, ſolaque puncta relinqui: itaque magnitudinem ex ſolis punctis ea qualitate affectis coagmentari. Hoc reſponſum ex eo refellit, quòd ſtatuat magnitudinem conflari ex partibus quātitatem non habētibus, qualià ſunt puncta. Quod tamen paulò antè impugnatum fuit.

*parabilis, ſitq́ magnitudo ipſa puncta, vel tactus ſic affecti, magnitudinē ex non magnitudinibus cōſtare incongruū, atq́ abhorrens eſt. Ad hæc p puncta ipſa ſiue à motu vacent, ſiue eundē ſubeant, vbi nā erunt? vnus enim ſemper duorū quorūdam tactus eſt tanquàm re quapiam alia, præter tactū, punctūq́ ac diuiſionē exiſtēte. Siquis ergò quoduis aut quantumlibet corpus eſſe ōni ex parte, atq́ omninò diuiſibile ponat, hæc accidūt vniuerſa. Præterea q ſi lignū, aut quippiā aliud iā diuiſū rurſū cōponas, iterū æqualibe pariter, atque vnū euadit. Igitur ad hunc modū res ſeſe habet, vt patet, etiam ſi illud quolibet in puncto incidas. Potentia ergò, ōni ex parte, ac omninò diuiditur. Quid r igitur præter diuiſionē erit? Nam ſi eſt affectio quædam, at quonam pacto diſſoluitur in hæc, fitque ex his: aut qualiter hæc ſeparari queunt? itaq́ s ſi fieri nequeat, vt magnitudines ex punctis, aut tactibus conſtēt, indiuiſibilia ſint corpora, magnitudineſq́ neceſſe eſt. At verò & ijs quoq́, qui hæc aſtruunt, non minus accidit impoßibile: de quibus quanquàm aliàs fuerit à nobis conſideratū: tn̄ ea ipſa ſoluere eniti oportet. t Quāobrem iterū ab initio dicenda dubitatio eſt. Igitur omne corpus ſenſibile, quouis in puncto eſſe diuiſibile, atq́ indiuiſibile nihil eſt abſurdū: potentia ſiquidem diuiſibile exiſtit, actu indiuiſibile. At vt ſimul ſit omni ex parte potentia diuiſibile, fieri non poſſe videtur. Nam ſi fieri poßit, & fiat, haudquaquam ad hunc fiet modū, vt ſimul ambo ſint actu, indiuiſibile inquā, atq́ diuiſū: ſed quolibet in puncto diuiſū. Nihil v igitur erit reliquū, atq́ corpus ipſum corruptione abibit in incorporeū: & rurſum aut ex punctis, aut prorſus ex nihilo fiet: atq́ id, qui fieri poteſt? at verò quod in ſeparabiles, & ſubinde minores, atq́ inter ſe diſtantes, ſeparataſq́ magnitudines diuidatur corpus, certū eſt. Itaq́ nec per partes diuidēti ſectio, quæ in minutula fit, infinita occur-*

Text. 9.

p Ad hæc puncta ipſa ) Argumentatur adhuc Democritus contra aſſertionē componentium magnitudinē ex punctis. Nā ſiue linea oriatur, vt quidā volunt, ex fluxu, motuvè puncti, ſiue nō: vel (vt eſt aliorū interpretatio) ſiue puncta in magnitudine moueātur, ſiue ſint motus expertia, quénam in magnitudine ſitū vendicabunt? Dicat Aduerſatius puncta eſſe in quauis parte lineæ, vt ijs partes omnes ſeſe tangant, ſibiq; mutuò cohæreant. At ſi ita res habet, inquit Democritus, planè conuincitur non ex ſolis punctis magnitudinē effici, quandoquidem cū aliqua ſe inuicē tangūt, aut diuiſionē ſubeūt, pręter id, cuius interuentu tactus, aut diuiſio fit, aliquid aliud dari oportet, nimirū partes ipſas, quę tāgūtur, aut inter ſe diuiſionem habent. Quarè non erunt in magnitudine puncta duntaxat.

Non eſſe in magnitudine ſola puncta.

q Pręterea ſi lignū ) Aliter idem confirmat, Nam cū lignū, aut quodcumque aliud corpus antea diſſectum, ex partibus iterùm coeuntibus componitur, fit quippiā æquale, ſibique reſpondens; quia ex eiſdem partibus cōſurgit: quarè idē etiā eueniet, ſi magnitudo in quolibet puncto atq; in omnes ſuas partes diuidatur, poteritque eadē ſimiliter redintegrari, cū ergo magnitudo ex punctis, aut ex qualitatibus refici non poſsit; vtiq; fatendum erit non diuidi illam in puncta, aut qualitates, neque ex ijs componi.

Facultate naturę non dari qualitatē extra ſubiectum.

r Quid igitur pręter diuiſionem ) Vrget adhuc argumento ſuo Democritus. Si oportet, inquit diuiſionem ad aliquid terminari, ecquidnam reliquum erit confecta partitione magnitudinis in omnes ſuas partes? nunquid affectus aliquis, ſeu qualitas? certè quod id neutiquam relinqui poſsit, liquidò conſtat. Primùm quia qualitas non gignitur ex quantitatibus, ſicuti nec ſubſtātia. Deinde quia qualitas nequit extra ſubiectum, cui inhęret, conſiſtere. Quod intellige facultate naturę. Nā virtute diuina poſſe accidens conſeruari extra ſubiectū, docemur myſterio diuinæ Euchariſtiæ, vbi poſt conſecrationē, manent accidentia panis, & vini per ſe abſque adminiculo ſubſtantię.

s Itaque

s Itaque ſi fieri nequit) Concludit tandē Democritus id, quod probandū aſſumpſerat, nimirū cū magnitudo non componatur ex iјs, quibus eā nullo modo cõſtare poſſe hactenus demonſtrauit, nihil aliud ſupereſſe, quā vt concedamus conſtitui ex atomis, ſeu corpuſculis inſectilibus, quorū coalitu, abſceſſuq; rerū ortus, & interitus perficiantur. Subijcit Ariſtoteles hanc Democriti ſententiam (eſto rationibus magis phyſicis, quā Platonica, vt dictum eſt, innitatur) non minoribus tamen premi difficultatibus. Et verò eius argumenta licet in tertio libro de cœlo pertractata, explicataq; fuerint, eſſe nihilominùs in præſenti diſſoluenda ad propoſitam de rerum generatione, & interitu controuerſiam dijudicandam. — Concluſio Democriti.

t Quamobrem iterum) Accedit Ariſtoteles ad diluendam rationem Democriti: pro cuius explicatione aduertè cū dicitur continuum eſſe diuiſibile in quamlibet ſui partem, bifariam id poſſe intelligi: vno modo, diſtributiuè, ita vt nulla pars deſignari queat, in quam non poſsit diuidi: altero collectiuè, ita vt ad totam partium collectionem diuiſio terminari poſsit: itaque priori potentiæ, quam vocant ſyncategorematicā, reſpondet actus incompletus, & inchoatus, ſecundum quē ſemper oportet reſiduas eſſe in continuo partes, quę adhuc ſine termino diuiduę ſint: Poſteriori, quam categorematicam appellant, reſpondet actus omnino perfectus abſoluens omnes continui partes nullamq; abſq; deſſectione relinquens. Porrò cùm magnitudo, ſiue continuū perhibetur a philoſophis diuidi poſſe in omnem ſui partē, id ſecundū priorē ſenſum accipi debet: alioqui falſum atq; impoſsibile eſt, quandoquidē talis diuiſio neceſſariò fit in partes adhuc extenſas, & quę ex alijs conſtent partibus, in quas continuū vlteriùs diuidi poſsit. Quia verò Democritus propoſiti effati poſteriorem tantummodo ſenſum agnouit, deq; eo duntaxat inter diſputandum meminit, ideo ſe contra aduerſarios rem totam confeciſſe arbitrabatur. Reſpondet ergò Ariſtoteles non eſſe abſurdum affirmare continuum poſſe diuidi in omnem ſui partem, intellige priori modo, ſimulq; non poſſe diuidi, nimirum poſteriori: itē eſſe diuiſibile potentià, intellige ſyncategorematica; & indiuiſibile actu, videlicet completo & abſoluto, licet nullum punctum deſignari queat, per quem diſſectionem fieri repugnet. — Bifariam cõtinuum dici poſſe diuiſibile in õnem ſui partem.

*ret,: nec inſuper cõtinget, vt õni in ſigno (ñ enim eſt poſſibile) ſed quadam tenus diuidatur. Indiuiduas igitur ineſſe magnitudines, quæ oculi aciem fugiant, neceſſe eſt: & præſertim, ſi generatio cõgregatione, & corruptio ſegregatione fieri debeat. Quæ igitur ratio magnitudines eſſe indiuiſibiles neceſſariò colligere videbatur, hæc eſt. Sed quod clanculò peruerſa ratiocinatione vtatur, & quaten⁹ lateat, exponamus oportet. Nam quia punctū puncto ñ hæret, magnitudines partim ſunt, & partim ñ ſunt õni ex parte diuiſibiles. Sed cùm hoc x poſitū, aſſertumq; eſt, punctū vbiuis, ac omni in parte videtur eſſe: ita vt in puncta diuidi magnitudinē ſit neceſſe, quippé cùm omni in parte punctū ſit: quo fit vt ea vel tactibus vel punctis conſtet. At õni in parte diuiſibilis eſt, quia vbi vnū eſt, & õnia vt ſingulū quodq;: vno autē plura non ſunt: non enim ſunt deinceps. Quare ñ omni in parte diuiſibilis eſt. Nam ſi per mediū diuiſibilis ſit, & per punctū adhærēs erit diuiſibilis. At id haudquaquam fit; ſiquidem nec ſignum ſigno, nec punctum puncto hæret. Hoc z autē eſt, diuiſio, & cõpoſitio. Quare tā cõgregatio, quā ſegregatio eſt, ſed nõ ex inſectilib⁹ & ĩ inſectilia, (cõplura enim inde emergunt abſurda) nec hoc pacto vt õni ex parte fiat diuiſio (id enī eueniret, ſi punctū pũcto hæreret) ſed*

Text. 10. *ſegregatio ĩ parua, & minora; & cõgregatio ex minorib⁹ fit. At ſimplex perfectaq; generatio congregatione & ſegregatione definita non eſt quemadmodum nonnullis placet, qui & eam, quæ in continuo fit, mutationem, alterationē eſſe aſſerunt. Verum id ipſum eſt, in quo prorſus errant: non enim generatio ſimplex, atque corruptio congregatione, ſe-*

v Nihil igitur erit reliquū) Colligit in pauciora Democriti argumentū, vt ſuæ ei accõmodet ſolutionem, aitq; latere in eo fallaciā. Nā cū puncta non immediatè ſibi cohæreant in magnitudine, ſed inter quælibet duo puncta ſit continuum, fit vt magnitudo & poſsit, & non poſsit diuidi ſecundum omnem ſui partem: poſsit, per quoduis determinatum ſignum, punctumvè; non poſsit, quia pars iacens inter quælibet duo puncta, eſt infinitè diuidua.

x Sed cū hoc poſitum) Obijceret aliquis, ſi magnitudo per quodlibet determinatū ſignū, ac punctū diuidi poteſt, ſequi hinc dari vbique pũcta in continuo, atque ita magnitudinem ex ſolis punctis cõſtare, & in ea tantū reſolui: occurrit Ariſtoteles, & ſi magnitudo prædicto modo ſecari; — Obiectio. Dilutio.



queat

queat; non tamen dari in linea plura puncta immediatè copulata, ſed vbiq; vnũ, hoc eſt vbicũq; punctũ ineſt, illic vnũ tantũ eſſe, nec vnũ alteri proximè coniungi, idq; de omnibus ſingulis punctis eſſe pronuntiandũ. Quarè cũ inter quælibet duo puncta inueniatur continuũ, & linea, non ſequi vbiq; in magnitudine eſſe puncta, hoc eſt, nihil in ea præter puncta inueniri aut illam ex punctis tantummodò conflari. Lege, ſi placet, ea, quę de diuiſione continui in ſuas partes à nobis explicata ſunt lib 3. Phyſic. cap. 4. q. 1. art. 4. & quæ de indiuiſibilibus lib 6. c. 2. q. 1. & 2. vbi diſſeruimus vtrum puncta ſint entia vera, poſitiuaque in continuo, an negationes tantũ: multiſq; argumentis demonſtrauimus continuum non componi ex ſolis indiuiſibilibus.

*Inter quælibet duo puncta eſſe continuum.*

z Hoc autem eſt diuiſio) Cũ Ariſtoteles concedat continuũ poſſe diuidi modo antè explicato, & conſtitui ex partibus inter ſe coeuntibus; monet non negare ſe omnem congregationem, & ſegregationem; ſed qualem fingebat Democritus, qui ex inſectilibus magnitudinem coagmentabat, & in inſectilia diſſoluebat: quique iſtiuſmodi indiuiduorum corporũ coalitum & ſecretioné, ortum interitumq; eſſe arbitrabatur: cùm tamen ex priori dogmate plurima abſurda conſequantur, vt conſtat ex ijs, quę hactenus diſputata ſunt: poſteriùs verò facilè erroris conuincatur. Non enim generatio ſimplex, hoc eſt, ſubſtantialis, nec ſimiliter corruptio eſſe poteſt, niſi cũ ſubſtãtia ipſa mutatur: generatio quidem, cũ eſt productio nouę ſubſtantiæ, vt quando ex aere fit ignis: corruptio cũ eſt euerſio, ſeu deſtructio ſubſtantiæ, quæ ante erat, vt aeris.

*Democritus magnitudinem ex indiuiſibilibꝰ cõponebat.*

*gregationevè fit: ſed cũ ex hoc in hoc mutatio fit. Alij vero y omnem eiuſmodi mutationẽ alterationem eſſe putãt. At in hoc diſcrimen ſubit: nã in ſubiecto alterũ forma, alterum materia eſt. Igitur cùm in hiſce fuerit mutatio, generatio erit, vel corruptio: cùm in affectibus, & ijs, quæ per accidens alicui cõpetunt, alteratio. Sed quæ congregantur, ægrè: quæ verò ſegregantur facilè corruptioni redduntur obnoxia. Nã ſi aqua in minores aquæ particulas ſit diſcerpta, in aerem ocyùs mutari ſolet: ſi verò collecta ſit, ſegniùs: quod in hiſce, quæ poſteriùs dicentur, apertius fiet. Nunc verò ſit hactenus definitum, fieri non poſſe, vt generatio ſit eiuſmodi congregatio, qualem nonnulli eſſe aſſerunt.* His

*Generatio & corruptio quando ſint.*

y Alij verò omnem) Reijcit opinionem arbitrantium omnem mutationem, quę fit ex hoc in hoc, eſſe alterationem. Nam cũ in ſubiecto, hoc eſt, in quouis compoſito naturali ſint forma & materia, itemq; affectus ſiue accidentia, quoties fit mutatio ſecundũ materiã & formã; quia videlicet materia nouã formã recipit, amittit; generatio vel vocatur: cũ verò cõpoſitũ penes qualitates mutationẽ ſubit, appellatur alteratio. Cõgregatio autẽ vel ſegregatio, quas Democritici ponũt, longè aliter ſe habent, quia tantũ ſunt vel concretiones ſecritiones atomorũ: licet non ſit negãdũ partiũ coalitũ, diuiſionéq; nõnihil ad interitũ rei facere, quatenus ea, quæ in minutiores partes diſſecta ſunt, quia minus reſiſtunt, corruptioni magis patent; quę autem collectiora & grãdiora exiſtunt, quia acrius obluctantur, corruptionem diutiùs inhibent, vt patet in magna aquarũ vi, quę tardiùs; & in guttulis, quæ citiùs in aerem mutantur, quod ſuo loco planiùs dicetur. Ex ſuperiori diſputatione ratum manere vult Ariſtoteles generationẽ non eſſe atomorũ cõiunctionem, quam Democritus, eiuſque ſectatores tuebantur.

*Alteratio quãdo fiat.*

*Cõcluſio cõtra Democriticos.*

*Capitis tertij Explanatio.*

HIS autem determinatis a) Confutatis veterum philoſophorũ de ortu, & interitu rerũ ſententijs, accedit ad oſtendendã propriã opinionẽ, ac primũ in controuerſiam vocat, num aliquid ſimpliciter gignatur & intereat, hoc eſt, nũ aliqua ſubſtãtia ortũ & corruptionem ſubeat: vel potiùs omnis generatio & interitus penes accidentia verſetur, vt cũ Socrates ex ęgroto fit valens, aut ex valente ægrotus, aliæuè ſimiles mutatiões cõtingũt.

*Quæſtio, nũ detur generatio ſimpliciter.*

## CAP. III.

*HIs a autẽ determinatis pertractatiſq;, primò cõtẽplari oportet vtrũ ſĩpliciter quippiam, an ꝓpriè nihil generetur, corrumpaturvè; ſemper autem ex quodam quiddam fiat, vt ex ægro ſanum, & ex ſano ægrũ aut puſillum magno, & magnum è puſillo; & reliqua omnia ad hunc modum. b Nam ſi generatio ſimpliter ſit* Text. 11.

b Nam ſi generatio) Argumentatur in partem negatiuã quęſtionis à ſe propoſitę. Si enĩ aliquid generetur ſimpliciter, cũ generatio omnis & in vniuerſum quælibet mutatio, ſit inter contraria: gignetur ens ſimpliciter, ex nõ ente ſimpliciter, quẽadmodũ & in generatione ſecundũ quid, ſiue accidentaria, efficitur v.g. ſubiectũ album è nõ albo: at quod repugnet gigni quippiã ſimpliciter eo modo, inde perſpicuũ videtur, quia tale nõ ens ſimpliciter, è quo dicitur gigni, nihil eſt aliud quã ſubiectũ, è quo res fit, quod in re genita neceſſariò manet: impoſſibile eſt autem nõ ens ſimpliciter manere in ente ſimpliciter,

*Omnis mutatio eſt inter contraria.*

Porrò

c Porrò ſimpliciter.) Auget excitatæ dubitationis difficultatē. Enim verò non ens ſimpliciter, vel negat præcipuā categoriam, hoc eſt, ſubſtantiam, quę ſimpliciter ens vocatur, vel remouet ens abſolutè, ideſt, in toto ambitu ſuę ſignificationis: vtrouis autem horū modorū non ens ſimpliciter accipiatur, nequaquam apparet qua ratione ſubſtantia poſsit gigni è non ente ſimpliciter. Nā ſi priori modo vſurpetur, iam ſubſtantia fiet è non ſubſtātia; poſteriori, ſubſtantia fiet omninò è nihilo: immo & idem ſequetur ſi non ens ſimpliciter iuxta priorem modū ſumatur, quandoquidē ſubſtantię negatio cæteras omnes categorias, cunctaq; entia excludit: quia accidentia ſubſtantię adminiculo fulciuntur, eoque dempto neceſſe eſt reliqua funditus tolli.

Reſpōſio ad ſuperius arg.

d Sed de hiſce in alijs libris.) Superiorem ambiguitatē diluerat Ariſtoteles in 1. lib. Phyſicorū cap. 8. ideoq; rem in præſenti paucis expediēs reſpondet generationē ſubſtantiæ fieri aliquo modo è non ente ſimpliciter, ſemper tamen fieri ex ente. Omnis enim ſubſtantia gignitur ex materia, quę eſt aliquo modo nō ens ſimpliciter, ideſt, non ſubſtantia, quatenus non eſt ſubſtantia in ſe, ſuaque eſſentia includēs actū Phyſicū, ideſt, formā, ſed potentia ad eam recipiendā ac ſuſtentādā: ſimulq; dicitur gigni ex ente, quia reuera materia etſi non ſit ens actu; eſt tamen ens ſubſtātiale. Vnde etiam patet non rectè colligi ſubſtantiā effici è nihilo, & excludi ab ea accidentiū categorias: ſiquidē ſubſtantia potentialis eſto dicatur propè nihil, non eſt tamen purum nihil, vt alibi fuſiùs explicatum eſt.

Non ens è quo ſubſtantia gignitur.

*quippiā profectò è non ente ſimpliciter, abſoluteq; fiet. Quarè verū erit dicere, quibuſdā n̄ ens cōpetere: quippè cùm generatio quædā è quodā non ente, ceu è nō bono fiat. At ſimplex generatio è nō ente ſimpliciter fit. Porrò c ſimpliciter, abſoluteq; nō ens, aut id, quod ex ōnibus entis prædicamētis primū eſt, aut quod eſt vniuerſale, & cūcta ambit, ſignificat. Igitur primū, è nō ſubſtātia erit ſubſtantiæ generatio. At cui ſubſtantia n̄ cōpetit, nec ei cæterorū prædicamentorum vllū, veluti qualitatē, quantitatē, aut vbi cōpetere poſſe palam eſt: nam alióqui affect⁹ ipſi à ſubſtātia ſeparari poſſet. Quòd ſi ita res habeat, ōninò ipſū nō ens, vniuerſaliter ōniū erit abnegatio. Quarè id, quod generatur ex nihilo gignatur, erit neceſſe. d Sed de hiſce in alijs libris latiùs ad dubitatū ſimul, atq; definitū fuit. Verū cōpendioſè in præſentia quoq; dicamus oportet, è n̄ ente ſīpliciter aliquo modo fieri generationē, & alio ex ente ſēper: nanq; ens potentia, ſed actu non ens, præexiſtat eſt neceſſe: quod ſanè, vt patet, vtroq; dicitur modo.*

Text. 12.

*e Determinatis autē hiſce, id rurſū exactè diſquiram⁹ oportet, quod mirā habet ambiguitatē, quonā inquam pacto generatio ſīplex ſit, ſiue ex ente potentia, ſiue etiam alio quouis pacto fiat. Dubitauerit nāq; quiſpia, vtrū ſubſtātiæ, ac rei huiuſce, ſed n̄ qualitatis, quantitatis, aut vbi generatio ſit eodē modo & de corruptione. Nā ſi quid oriatur, quandā potentia, n̄ actu ſubſtantiā eſſe, dilucidū eſt, ex qua fiat generatio, & in quā id mutari neceſſe ſit, quod corruptionē ſubit. Vtrū igitur ex cæteris, quæ actu ſunt quippiā huic cōpetet, vtrū inquā id, quod potentia duntaxat hoc aliquid, atq; ens eſt, ſīpliciter autē nec hoc aliquid, nec ens, quātitas erit qualitas, aut vbi? nā ſi actu nihil ſit; ſed ōnia potentiá, eueniet & id, quod ita eſt, n̄ ens eſſe ſeparabile: & inſuper (id quod ſemper maximè ſunt veriti, qui primi in philoſophia verſati ſunt) nihilo præexiſtente quippiam gigni. Quod ſi verum non ſit hoc quidem ſubſtantiam, & hoc aliquid eſſe, ſed è cæteris prædicamentis ali-*

Quæſtio.

e Determinatis autem hiſce.) Rurſus in dubiū vocat vtrū re ipſa aliqua ſubſtātia generatione efficiatur; vel potiùs omnis generatio ſit accidentis, ſimiliterque corruptio. Nam quod nulla ſubſtantia gigni poſſit, ex eo videtur, quia oporteret eam gigni è non ſubſtantia. At de iſtiuſmodi non ſubſtantia quæri poteſt vtrum ne ſit aliquod ens in actu, an potentia, & an ſit actu aliquid aliorū prædicamentorū, vel potentia duntaxat. Nam ſi nihil actu ſit, vtique ſeparabile erit à ſubſtātia, & accidēte, ideſt, neq; ſubſtātia erit, neq; accidens, proindeq; erit nihil, & ex nihilo fiet aliquid contra cōmune philoſophantiū dogma. Quod ſiquis dicat id non eſſe ſubſtantiam, eſſe tamen aliquid aliorum prædicamentorum actu: tunc aliud non minus à veritate alienū & abſurdum ſequeretur, videlicet cohęrere per ſe accidentia extra ſubſtantiam: ſiquidem concedunt id, quod gignitur, fieri ex accidēte, quod abſque ope ſubſtantiæ conſiſtat.

Reſpōſionis confutatio.

f De hiſce igitur quoad.) Vt propoſitam excutiat difficultatem, aliud interponit dubiū cuius explicatio & intelligentia ijs, quæ dicēda ſunt, non parum lucis afferet, videlicet quidnā cauſę ſit, cur continuus ac perennis rerum ortus, & interitus, tam in ijs, quę ſimpliciter, quàm

Cur ortus & interitus rerū perennis ſiū

quæ ſecundum quid oriuntur, & occidunt, in ſublunari mundo à natura nunquam deſeratur

g Sed cum vna quidem) Duplex cauſa eſt, cuius ſcrutatio ad præſentem controuerſiam pertinet, efficiens, & materialis. Efficiens itẽ duplex, vt in ſeptimo, & octauo libro Phyſicę Auſcultationis dictum fuit. Altera mouens immobilis, quæ eſt primus motor: altera ſimul mouens, & mobilis, nempe primum mobile, ſeu prima cęleſtium ſphærarum, quæ perenni motu agitantur.

Cõtẽplatio primi motoris eſt negotij Metaphyſici.

De mouente immobili, cuius contemplatio ad Metaphyſicũ ſpectat, ait Ariſtoteles nihil ſe in præſenti diſquirere; de mobili autem, à quo rerum ſublunariũ generatio, & corruptio dependet, acturũ ſe in progreſſu inquit, videlicet libro ſecundo huius operis, Quo autem ſenſu verũ ſit primi motoris conſiderationem ad primũ Philoſophum pertinere; cùm de illo etiam in Phyſicis loc. citato, Ariſtoteles ipſe diſputarit declaratum à nobis fuit in proęmio libri ſeptimi, eiuſdem operis.

h Nunc autem) Relicta cauſa efficiente perpetuæ generationis materialẽ ſibi inueſtigãdam ait, qua explicata conſtitutum erit quid reſpondẽdum ſit ad quæſtionẽ de ſimplici generatione, & interitu, id eſt, num aliqua ſubſtantia generetur, & corrumpatur.

i Inuehit autem.) Antequam ſempiternæ generationis cauſam afferat, vt veritas diſputando magis eluceat, probat impoſsibilem eſſe iſtiuſmodi perennitatẽ, quaſi hũc in modum argumẽtetur. Quod corrumpitur vel abit in ens, vel in nõ ens. Si in ens, nõ igitur corrumpitur, quandoquidẽ manet. Si in non ens, ergo in nihil; quia neque in ſubſtantiam, neque in quantitatem, aut aliud quid cæterorum. At ſi in nihilum cedit, tota intereuntium corporum vniuerſitas funditus ruet, ac certè mirum eſt, quod nõdum exinanita & conſumpta ſit

Non dari infinitam materiam.

k Nõ enim propterea.) Diceret forte quiſpiam licet ea, quę corrumpuntur, penitus euaneſcant; ſemper tamen gignendis rebus materiã ſupereſſe propterea quod materia interminata, atque infinita ſit. Hanc reſponſionẽ improbat Ariſtoteles, quòd rebus infinitudinem inuehat, cũ tamen non dari in rebus creatis infinitũ actu, demonſtratũ ſit in Phyſicis; eſto detur infinitum potentia quoad diuiſionem. Quod ſi alius occurrat potuiſſe ex finita materia res ab ęterno gigni, eo quod diuiſio, qua ex ea ad rerum generationẽ partes deſumuntur, fiat progrediẽdo per partes infinitè minores iuſta proportione ſibi perpetuó reſpõdẽtes; quę ſecãdi ratio nullum prorſus finem inuenit. Hanc quoq; ſolutionem inde refellit, quia ſequeretur ea, quæ oriuntur, in dies minora euadere; ſiquidẽ ex partibus in dies minoribus coagmentarentur, quod falſum eſſe nemo non videt. Quęrunt in huius loci explicatione nonnulli è

Confutatio ſolutionis

recen-

*quid, contĩget (vt iam diximus) affectus ipſos à ſubſtantijs poſſe ſeparari. f De hiſce igitur, quoad fieri poteſt, & quæ nam ſit cauſa, cur generatio tam quæ ſimpliciter, quàm quæ ſecundũ partem ſit, ſemper ſit, diſſerendũ eſt. g Sed cùm vna quidẽ cauſa ſit, vnde motus eſſe principiũ dicimus.* Text. 13.
*altera verò ipſa materies, de tali cauſa dicamus oportet, Nam de illa quidẽ priùs eſt dictũ, cùm de motu ageremus, eſſe inquã aliud, quod omni tẽpore perdurat immobile; & aliud, quod in motu ſemper eſt. Sed de principio illo, quod mutationi ñ eſt obnoxiũ, primæ philoſophiæ eſt determinare, ac pertractare. At de eo, quod cætera iccirco mouet, quia cõtinuè moueatur, quidã eorũ, quæ ſingularia vocãtur eiuſmodi cauſa ſit, poſteriùs erit aſsignandũ. Nunc h autẽ quæ velut in materiæ ſpecie ſita eſt, cauſam, per quã generatio, & corruptio nunquã natura deficiunt, dicamus oportet. Nam ſimul forſitã & hoc emerget, & id, quo de nuper dubitauimus, quonã inquam pacto de generatione & corruptione ſimplici dicere cõueniat. Inuehit i autẽ & id quoq; magnũ abunde dubium, quænã cauſa ſit, vt generatio generationi ſẽper cohæreat, & alterã altera ſubinde ſequatur; ſiquidẽ quod corruptionẽ ſubit, ad id proficiſcitur, quod nequaquã in ratione rerũ exiſtit: quod autẽ in ratione rerum minimè exiſtit, nihil eſt. Nam quod haud eſt, neq; ſubſtãtia eſt, neq; qualitas, neq; quantitas, nec vbi. Igitur ſi ſẽper quippiã eorũ, quæ ſunt in ratione rerũ abeat, cur non dudũ vniuerſum ipſũ conſumptũ fuit, atq; inane euaſit, cũ id, ex quo ſit genitorũ quodq; finitũ ſit? ñ enim k propterea quod id, ex quo quid ſit, infinitũ ſit, ñ deficit id enim eſſe nequit; nihil enim actu infinitũ eſt, ſed potentià tantũ, nẽpe diuiſione ipſa. Quare hanc ſolùm cauſã eſſe oportebat, cur nũquã deficiat; quia ſẽper quippiã fiat minus: nũc autẽ hoc fieri minimè cernimus. l Ergo propterea quod interitus huius, alterius*

*eſt*

recentioribus interpretibus nũ ſaltem de corporibus humanis verum ſit minora in dies ferre naturam. Poteſt hęc dubitatio bifariam intelligi, vno modo vtrum in ſpecie humana maiori ex parte in dies breuiora corpora proueniant. Altero, num quilibet filij parentibus ſemper minores euadant. Si quæſtio ſecundum priorem ſenſum intelligatur, affirmativè reſpondendum eſt: ſi ſecundum poſteriorem, negatiuè. Probatur quoad priorem partem quia, vt iam alibi monuimus, id teſtatur experientia; & tam poetarum, vt Homeri 6 Iliados, Virgilij 1. Georgic. & 12. AEneid. & Iuuenalis Satyr. 15. tum aliorum ſcriptorum, vt D. Cypriani aduerſus Demetrianum, D. Auguſtini 15. de Ciuit. Dei cap. 9. Plinij lib. 7. de Hiſt. Natur cap. 16. & aliorum complurium auctoritas. Idemque affirmat Vriel Angelus libro 4. Eſdrę cap. 5. ( & ſi is liber Canonicus nõ ſit ) Conſidera, inquit, & tu, quoniam minori ſtatura eſtis prę ijs, qui ante vos: & qui poſt vos, minori, quã vos, quaſi iam ſeneſcẽtes creaturę, & fortitudinem iuuentutis prętereuntes.

Lib 8. Phyſic. c. 2. q 3.

Homerus. Iuuenalis, D. Cyprian. D. Auguſt. Plinius.

*eſt ortus, & contrà ortus huius, alterius interitus; neceſſariò accidit, vt mutatio irrequieta ſit, & ſubſiſtere nequeat. Cur igitur generatio, & corruptio ſimiliter ſemper ſit circa vnumquodq; eorum, quæ ſunt; hanc apud õnes causã ſatis eſſe putandum eſt.* m *Sed quamobrẽ alia ſimpliciter, alia nõ ſimpliciter oriri, ac interire dicãtur, rurſus cõſideremus oportet; ſiquidẽ idem eſt generatio huius, & illius corruptio, atq; huiꝰ corruptio, & illius generatio: id enim quãdam poſtulat rationem. Dicimus enim quippiam ſimpliciter nunc, & non ſolum hocce corrumpi; atque hæc generatio, generatio ſimpliciter; & hæc corruptio, corruptio ſimpliciter eſt. Fit autẽ & hocce quidẽ aliquid, non autẽ ſimpliciter: etenim eum, qui diſcit, ſcientẽ fieri dicimus, non autẽ ſimpliciter fieri. Quia igitur quædam ( id quod definiendo ſæpè diximus ) hoc aliquid ſignificat, quædam non: hac ſanè de cauſa quod in quæſtione verſatur, euenit. Refert enim haud parum, in quod mutetur id, quod mutationem ſubit: verbi cauſa, quæ ad ignem fit tranſitio, ea forſitan generatio ſimplex eſt; & alicuius, ceu terræ, corruptio. At terræ generatio, generatio quædam eſt: cæterùm generatio ſimpliciter non eſt; ſed corruptio ſimpliciter, puta ignis* n *Sicuti Parmenides aſſerit, qui duo, ens, inquam, & non ens, ignẽ & terram eſſe dicit. Verùm hæc, an alia eiuſmodi ſupponantur, intereſt nihil: quandoquidẽ modum quærimus, nõ ſubiectũ. Quæ igitur ad non ens ſimpliciter fit migratio, corruptio ſimplex eſt; quæ verò ad ens ſimpliciter, ſimplex generatio. Quibus igitur illæ, ſiue igne & terræ ſiue quibuſdã alijs definitæ ſunt, horũ profectò alterũ ẽs, alterũ nõ ens erit. Vno igitur modo ſimpliciter quippiam generari, ac corrumpi, & non ſimpliciter, hoc inter ſe defferunt. Altero,* o *materiæ qualitate, conditionevè. Cuius enim differentiæ potiùs hoc aliquid ſignificant, ea magis ſubſtantia eſt contrà, cuius diffe-*

Text. 18.

Conſtat certè multò ampliori numero olim generari ſolitos, Gigantes, de quibus fit mentio in diuinis literis Geneſeos cap. 6. Namque licet non deſint, qui eo loco Gigantum vocabulo nõ homines magna corporis vaſtitate, ſed ſuperbos, impios, & feroces ( quo pacto interdum Gigantum nomen in diuinis literis ſumitur ) indicari putent, vt Philo Iudæus in libro de Gigantibus, & D. Cyrillus lib. 9. aduerſus Iulianum. Contraria tamen ſententia verior habetur; quæ eſt D. Ambroſij de arca Noe c. 4. D. Auguſtini lib. quæſtionum in lib. Geneſim queſt. 3. & lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 23. Theodoreti queſt. 48 in Geneſi. Caſſiani collat. 8. cap. 21. aliorumq; cõmunis. Ac prę ter eos Gigantes, de quibus narrat ſacra pagina, alios quoque diuerſis tẽporibus fuiſſe ex hiſtorijs conſtat, & vt cæteros omittamus, refert Plinius lib. 7. Nat. Hiſt. cap. 16. Oreſtis corpus fuiſſe ſeptem cubitorum; & in Creta, terrę motu rupto monte, inuentum corpus ſtans quadraginta ſex cubitorum. Abulenſis etiam cap. 1. Geneſeos queſt. 12. inquit anno octingenteſimo ſalutis noſtrę inuentum fuiſſe cadauer inciſo nomine Pallantis Euandri filij, quod erectum in pedes barba æquaret męnia Romanorum.

Maior olim gigantũ numerus.

Phil. Iud. D. Cypr.

Ambroſius. Auguſtinus. Theodoret. Caſſianus.

Conſule Beroſu lib. 1. de tẽporibus ante diluuiũ, & Anniũ ibidẽ Ioan. Luc. c. 4. lib. d̃ emẽdatione tẽp. Xenophõtẽ lib. d̃ ęquiuocis. Cœl. lib. 2. c. 6. & lib. 3. c. 9. & lib. 30 c. 33. Macrob. 1. Satur. cap. 20. Diodor. lib. 1. rerũ antiq c. 2. & lib. 3. c. 2.

De Oreſtis corpore. De corpore Pallantis.

At enim non modò iam temporũ decurſũ veteres Gigantũ familiæ, & frequens eorũ ortus deſijt: ſed ab ea magnitudine corporum, quæ non prodigioſa, ſed apta conuenienſq; erat, in dies humana natura deſcẽdit. Cuius rei cauſa eſt, quod paulatim virtus ſeminalis, nutritoria, auctrixq; degenerat, ſicuti & res cæterę humanę in deteriorẽ ſtatum vergunt. Itaq; negari non poteſt hominum corpora indies maiori ex parte contractiora eſſe.

Cauſa decrementi in corporibus humanis.

Iam

Iam veró poſteriorem partem noſtræ aſſertionis experientię fides comprobat. Videmus enim ex parentibus mediocris ſtaturę naſci interdum filios admodum proceros, & contra è proceris parentibus oriri pumiliones. In quam ſententiam obſeruatione dignum eſt quod ſcripſit Scaliger exercitatione 263 in Cardanum, nempe Sanogithios populos, qui inter Pruſsiam, & Liuoniam incolunt, cũ proceræ ſtaturę maxima ex parte ſint; tamen quaſi per vices tum proceros, tum penè nanos generare: haud abſimili ingenio quarundam arborum tertio quoque anno fructum ferentium; quaſi materia ſimul exhauſta, tãquam ſuccidaneas reparet reliquias natura, dum quod in nano abiurauerat, dependit in magnitudine inſigniori.

De Sanogithijs.

Nec mirum quod in parentum, & filiorum ſtatura, tanta varietas notetur: cùm ſidera natalitia, & afflatus cęleſtes, atque alia, quę ad conceptum, & corporis formationẽ, virtuteſq; organicas in corpore effingendas cõcurrunt, ita prolem afficere queant, vt eam diuerſitatem ſortiatur; & nunc ſub exigua quantitate maneat, nũc etiã ad Gigantæã vaſtitatem excreſcat. Nec enim audiendi ſunt poetę, qui Gigantes è terra natos canunt: neq; Franciſcus Georgius in primo, & ſexto tono ſuorum problematum, vbi, inter alia, ſtatuit propriã Dęmonum prolem eſſe Gigantes, neque talia mõſtra ex ſolis hominibus aut vſitato generationis humanę modo, & ordine gigni poſſe. Nam quod Dęmones vi propria generare nequeant progreſſu oſtendemus, vbi etiam num ſaltẽ applicando naturalia actiua paſsiuis id aliquando præſtare valeant, pertractabimus. Sed iam ad contextum redeamus.

Natalitia ſidera quaui polleãt.

Dęmones vi propria nequaquã poſſe gignere.

*differentiæ priuationẽ magis ſignificant, ea magis nõ eſt: vt calor prædicamentum quoddam, & ſpecies eſt; frigiditas priuatio: his autẽ differentijs, ignis & terra differunt. At pleriſq; videtur illa potius ſenſibili & inſẽſibili differre. Nam cùm ad ſenſibilẽ materiã mutatio fit; tũ gigni quippiã aiunt: cùm ad eam, quæ ſub ſenſum nõ cadit, corrũpi. Quãdoquidẽ ens, & nõ ens ſentiendo, & nõ ſentiendo definiũt: quemadmodum quod ſcibile eſt, ens eſſe aſſerunt; quod ſciri nõ ſolet, non ens: quippè cum ſenſus ipſe, ſcientiæ vim obtineat. Igitur hi vt res ipſas viuere, quia ſentiant, aut ſentire poßint, ita eaſdem eſſe, quia ſub ſenſum cadant, arbitrantur, veritatem modo quodam ſectantes, ſed hoc falsi dicentes. Itaq; q generari quippiam ſimpliciter, atq; corrũpi iuxta opinionem alio atque veritatem accidit modo. Nam ſpiritus & aer ſenſu quidẽ, minus ſunt, & proinde illa, quæ ſimpliciter corrumpuntur, mutatione ad illa tendente corrumpi dicunt: atq; generari, cùm in rem tangibilem, terrãq; mutantur. Reuera verò hoc aliquid & ſpecies magis ſunt, quàm ipſa terra. r Cur igitur ſit, aut non ſit ſimplex generatio, quæ eadẽ alicuius corruptio eſt, & corruptio ſimplex quæ itidẽ generatio alicuius eſt, cauſã diximus. Nã id ob materiæ diſcrimen euenit nẽpe aut quod ea ſubſtantia ſit, vel nõ ſit: aut quod hæc magis, illa minus: & non, quia materia, ex qua mutatio venit, & adquam proficiſcitur, alia magis, alia minus ſenſu percipi queat. s Dicuntur autem quædam ſimpliciter, quædam ſolùm aliquid fieri: non ob mutuam generationem, ſed iuxta eum, quem nuper diximus, modum. Nã hoc tantùm nuper definitum, determinatumq; fuit, cur nam cùm omnis generatio ſit alterius corruptio, & omnis corruptio cuiuſpiam aliùs generatio, tam oriri, quàm interire, non ſimiliter tribuamus hiſce, quæ in ſeſe vicißim mutarĩ ſolẽt. At*

Text. 19.

Text. 20.

l Ergo propterea quod] Reiectis falſis ſolutionibus declarat legitimam, veramque cauſam ſempiternitatis generationum, & corruptionum; & quopacto finita materia ad id ſufficere potuerit; aſſeritque eius rei cauſam eſſe, quòd corruptio vnius fit generatio alterius, & è conuerſo. Ac ſi apertiùs dicat, quia cũ quidpiam diſſoluitur, non abit in nihilum; ſed in aliud cedit, & conuertitur, aliam demum formam ſuſcipiente materia. Cauſa igitur, cur generationũ ſeries nũquã intermittatur; ſed conſequentia quadam perpetuetur, eſt materia ipſa, quæ abeuntium, & ſuccedentium formarum viciſsitudinem in ſe recipit; nec vnam dimittit, quin aliam ſemper aſciſcat.

Cauſa perpetuitatis generationum.

m Sed quam ob rem] Aliam inducit quęſtionem, videlicet ſi vnius interitum alterius generatio perpetuò conſequitur; cur quædam ſimpliciter gigni, & interire perhibentur: alia non ſimpliciter, ſed cum adiectione, ſiue ſecundum quid tantũ. Tres igitur recenſet modos, quibus res ſimli-

Triplex modus generationis ſimpliciter, & ſecundũ quid.

ſimpliciter, & ſecundum quid generari, ac ſimiliter corrumpi queant. Primo modo ſimpliciter gigni, aut perire dicitur ſubſtantia, quia eſt ſimpliciter ens, ſecundum quid verò accidens; quia non abſolutè ens, ſed quodam modo ens, vel etiam non ens dicitur.

De alio Parmenidis dogmate lege Ariſto. lib. 1. Phyſ. cap. 2. text. 6.

n Sicut Parmenides.) Parmenides ſecundũ quoddã ipſius dogma, duo poſuit rerũ principia, nimirũ ens, & non ens; entis nomine ignem, nõ entis appellatione terram ſignificans; fortaſſe, vt D. Thomas annotauit, quia ignis inter omnia elementa plus de forma, & actiuitate; terra verò minus obtinet. Cũ ergo aer ſit ens, terra non ens, dicetur, inquit Ariſtoteles, aer ſimpliciter gigni, iuxta priorem conſiderationem generationis ſimpliciter; non autem terra. Quoniã autem Ariſtoteles exemplum hoc non ex ſuo ſenſu protulit: nec enim putabat terram eſſe nõ ens, ſeu quaſi non ens, & cõmunẽ cum accidentibus appellationem ſortiri; ſed id ex Parmenidis dogmate pronuntiauit; ait ſe dũtaxat modũ quęſijſſe ad explicandam ſententiam, ſiue in re ſubiecta ita accidat, ſiue non, cũ in exemplis non ſit requirenda veritas.

*At quod poſtremo loco fuit dictum, hoc idem minimè in quæſtionem reuocat: ſed quamobrem quod diſcit, non ſimpliciter fieri, ſed fieri ſciens, quod verò naſcitur, fieri dicatur. Hæc autem prædicamentis diſtincta ſunt. Nam alia ſubſtãtiam, alia qualitatem, alia quantitatẽ ſignificant. Quęcunq; igitur ſubſtantiam nõ ſignificant, ea nõ ſimpliciter ſed quippiã fieri dicũtur. Verũ enim verò, in omnibus generatio ſimpliciter iuxta ea, quæ in altera ſunt ſerie dicitur, vt ſubſtantia, ſi ignis fiat, ſed nõ ſi terra, & in qualitate, ſi ſciũ, ſed non, inſcium. Quod igitur quædam ſimpliciter oriantur, quædam non, etiam omninò in ipſis ſubſtantijs dictum eſt, & quod vt generatio continuè ſit, cauſa vt materia id, quod ſubijcitur, eſt: quia in contraria mutatiuũ eſt: atque in ſubſtantijs ſemper vnius generatio, alterius eſt corruptio, &*

Text. 21.

*vnius corruptio generatio alterius. At verò nec dubitaſſe, conuenit, quam ob cauſam corruptis quibuſdam ſemper generatio fiat. Nam vt corrũpi ſimpliciter quippiã dicũt, cùm illud ad inſenſibile & id, quod haud eſt, proficiſcitur:*

Secũdus modus generationis ſimpliciter.

o Altero materię qualitate) Hic ponit ſecũdũ modũ generatiõis ſĩplici ter, in quo nõ iã cõparat ſubſtãtiã cũ accidẽte, ſed vnã ſubſtantiã cũ alia, docetque iuxta hunc modũ gigni ſecũdum quid ſubſtantiam minus perfectam; ſimpliciter verò eam, quę pręſtantior eſt, differtque ab alia per qualitatem, & conditionem materiæ, ideſt, per differentiam naturę nobiliorem. Quo pacto ſe habet ignis comparatione terræ. Nam terrę, inquit, differentia frigus eſt: ignis autem, calor: at frigus priuatio quędã eſt, calor verò habitus. Ex quo ſequitur aerem excellentioris eſſe naturę, quã terram; cũ per nobiliorem differentiam conſtituatur. Duo hoc loco aduertenda ſunt cum D. Thoma. Alterum eſt, cur Ariſtoteles frigus priuationem vocat; cũ re vera ſit qualitas poſitiua, vt progreſſu huius operis oſtendemus. Alterum, cur calorem, & frigus appellat differentias ignis, & terrę. Ad primum dicendum cũ ſpecies ſint quaſi numeri teſte Ariſtotele lib. 8. Metaph. cap. 3. tex 10. ſemper è duabus ſpeciebus ſub eodem genere contentis vnam eſſe altera perfectiorem; atque ita minus perfectam habere quodammodo priuationem perfectionis alterius. Quo fit vt illa habitus, hæc priuationis modum obtineat. Hinc eſt ergo, quod Ariſtoteles frigiditatem, quia imperfectior eſt calore, & ambo ſub qualitate continentur; priuationem vocauit. Ad ſecundum reſpondet D. Thomas, quia differentię ſubſtantiales elementorum ignotæ ſunt, ideò Ariſtotelem eas per calidum, & frigidum, quę accidentariæ, ſed omnibus notæ habentur, indicare voluiſſe: quod philoſophi nõ infrequẽter faciunt. Sed hac de re vberiùs, cũ de elementorũ formis diſputabimus.

Dub. 1. Dub. 2. Sol. 1. Sol. 2.

Lege Ariſtotelem lib. 10 Metaph. cap. 7. text. 16. & lib. 2. de cęlo text. 18. c. 3. & lib. 2. de gen. c. 5. text. 32.

Tertius modus generationis ſimpliciter. Veterũ Philoſophorum error.

p At pleriſque videtur) Subijcit tertium modum, ſecundum quem arbitrabantur nonnulli ſimpliciter gigni quæ ſenſibus magis conſpicua ſunt. Quorum ratio fuit, quia ſenſuum iudicio omnia æſtimabant, nec putabant eſſe ens, niſi quod caderet ſub ſenſum, quem nequaquam ab intelligentia diſtinguebant. Vnde etiam quod ſcibile foret, id tantũ ens eſſe prędicabant; quod aliter ſe haberet, ens eſſe inficiabantur. Quin & eorum error eo vſque extendebatur, vt ſicuti credebant animalia viuere, quod actu ſentiant, aut ſentire queant; ita crederent res eſſe, quia ſentiuntur, aut ſentiri poſſunt.

q Itaque generari quidpiam) Comparat tertium modum cum ſecundo docens aliter dici rẽ generari, & corrumpi ſimpliciter iuxta opinionem tertij modi; aliter quo ad rem ipſam, vt in ſecundo modo explicatur.

r Cur igitur ſit) Sũmatim colligit quæ in ſuperioribus concluſit, aiens & ſi generatio vnius

Cur quędã dicantur generari ſimpliciter, alia nõ.

ſit corruptio alterius; & vnius corruptio, alrerius generatio: quædam tamen dici ſimpliciter generari, aut corrumpi; quędã non, ob materię differentiam, ideſt, ob diuerſitatem rerum, quę generationem, & interitum ſubeunt. Quędam enim ſunt abſolutè entia, quædam non: itemque alia plus, alia minus obtinent dignitatis, & cęt.

s Dicuntur autem quędam } Docuerat cur eorum, quę ex ſe mutuò generantur, & intereũt, quædam ſimpliciter, quædam ſecundum quid gigni, & occidere dicantur: hic eiuſdem rei cauſam reddit in ijs, quæ non gignuntur ex ſe inuicè, neque in ſe mutuò abeunt. Quo modo affecta ſunt aer, & ſcientia: nec enim generatio aeris eſt corruptio ſcientiæ, neque è conuerſo. Ait ergo in ijs cauſam diſcriminis eſſe; quod rerum quędam ſpectant ad categoriam ſubſtantiæ; alię ad categorias accidentiũ, ſubſtantia verò vt eſt ens ſimpliciter, ita ſimpliciter, atque abſolutè generari dicitur: contra verò accidentia, vt non niſi ſecũdum quid entia appellantur, ita non abſolutè, ſed ſecundum quid gigni perhibentur.

Cur accidentia dicantur gigni ſecundum quid.

t Verùm enim verò) Tametſi quælibet ſubſtãtia cum accidentibus comparata ſimpliciter generari, & interire dicenda ſit: addit tamen Ariſtoteles, ſi eę, quæ potiores ſunt cũ deterioribus cõferantur, illas ſimpliciter, has ſecundum quid gigni & occidere dicendas eſſe. Immo & in ipſis accidentibus conſimilem varietatem dari poſſe, ita vt acceſſu nobilioris qualitatis dicatur quis ſimpliciter gigni v. c. cum ſcientiam comparat; aduentu autem minus nobilis, interire, vt cum errorem acquirit.

*tur; ſic & ortum ſubire ex eo, quod haud eſt, cùm ex inſenſibili ſit. Siue igitur ſubiecto quopiam exiſtente, ſiue nõ, ex eo ſit, quod haud eſt. Quare ſimili modo & ex eo, quod haud eſt, generatur, & in id, quod haud eſt, corrumpitur. Meritò igitur generatio non deficit; quippe cùm generatio, corruptio ſit eius, quod haud eſt, atque corruptio generatio eius, quod haud eſt. x Sed quæret aliquis, vtrum hoc ipſũ, quod ſimpliciter non eſt, è contrarijs ſit alterum: verbi cauſa, vtrũ non ens ſit terra & id, quod graue eſt, ens verò ignis & quod leue eſt, an non; ſed ens terra, non ens verò terræ materies, atq; ignis ſimiliter? & vtrum materies. z vtriuſq; diuerſa ſit, an nec ex ſe ſe mutuò fierent, nec ex contrarijs: nam hiſce, igni, inquam, terræ, aquæ, & aeri contraria inſunt. An partim eſt eadem, partim diuerſa. Quod enim aliquando cùm ſit, ſubijci ſolet, eſt idem; at ratio non item eadem eſt. Sed de hiſce hactenus.* Text. 22.

*CAP.*

v At verò nec dubitaſſe } Compertum iã eſſe inquit, cur ex vno corrupto ſemper aliud gignatur, videlicet quia generatio omnis eſt progreſsio à non eſſe ad eſſe (vt patet etiam ex eorum opinione, qui volunt tunc generari quidpiam, cùm ex inſenſibili, quod putant eſſe non ens, fit ſenſibile, quod duntaxat entis nomine comprehendunt) corruptio autem eſt progreſsio ab eſſe ad non eſſe. Vnde fit vt terminus ad quem interitus, ſit terminus à quo generationis; & terminus ad quem generationis, terminus à quo interitus: proindeque vt rata ac firma lege poſt vnius diſſolutionem, alterius ortus exiſtat. Hic aduerte terminum ad quem interitus non eſſe terminũ à quo per ſe generationis: ſed per comitantiam duntaxat. Nam cùm v. c. ex aere ignis producitur, & aer interit, terminus ad quem corruptionis aeris, eſt non eſſe aeris; terminus autem à quo per ſe generationis ignis, eſt non eſſe ignis, ſeu priuatio formæ ignis; non autem non eſſe aeris, ſeu priuatio formæ aeris: ſiquidem tunc aliquid dicitur generari, cũ tendit à non eſſe ſui, ad eſſe ſui, vt cũque ſe habeat eſſe, vel non eſſe alterius. Eatenus ergo terminus ad quem corruptionis, dicitur eſſe terminus à quo generatiõis, quatenus vt v. c. ignis ex aere generetur, oportet aerẽ corrũpi, atq; ita poſt non eſſe aeris ſubſequi generationẽ ignis. Terminus verò ad quẽ generationis eſt terminus à quo per ſe corruptionis, non quidem rei, quæ in eodem inſtanti corrumpitur, vt planum eſt; ſed corruptionis poſtea futuræ, nimirum eius, quam ignis ſubibit: quandoquidẽ corruptio ignis tendit ab eſſe ignis ad non eſſe eiuſdem.

Quo pacto terminus ad quem corruptionis ſit terminus à quo generatiõis.

Dubitatio.

x Sed quęret aliquis) Quoniam generatio, vt dictum fuit, eſt ex non ente; dubitationem excitat, quid nã illud ſit, num aliquod contrariorum, v. g. nũ terra, & graue ſit non ens, vti poſuit Parmenides; ignis autem, & leue ſit ens. Reſpondetque non ita rem habere: ſiquidem terra eſt ens, & gignitur, dum materia recipit formam, qua in actu conſtituitur. Potiùs ergo non ens eſt ipſa terræ, & ignis materia. Quæ tamen non eſt per ſe non ens, vt aiebat Plato, ſed non ens per accidens ratione priuationis, cui adiungitur, vt conſtat ex lib. 1. Phyſic. cap. 9. text. 79. Dicitur autẽ res fieri ex contrario, quia fit ex materia habente priuationẽ formæ aduenientis, & quia forma aduenicns, cũ abeuntẽ expellat, aliquo modo illi oppoſita eſt.

Solutio.

z Et

z. Et vtrum materies vtriuſq; ) Aliam mouet quæſtionem, videlicet num eadẽ ſit rei intereũtis, & rei, quæ gignitur, materia, an diuerſa. Reſpõdet partim eſſe eandem, partim diuerſam: eã- *Dubitatio.* dem re, diuerſam ratione. Nã quod re eadẽ ſit ex eo conuincitur; quia alioqui cũ ex aere ignis, ex igni aer generatur, non dicerentur hęc duo elementa fieri ex ſe mutuò, neque è contrarijs oriri. Non enim ex ſe inuicem fiunt, quæ communem materiam non habent, neque contraria cenſen- *Solutio.* tur, quæ non verſantur circa idem ſubiectum. *Contraria circa idem.* Eſſe tamen iſtiuſmodi materiam ratione diuerſam inde patet; quia aliter eſt diſpoſita, aliterq; ſe habet ſecundũ accidentia, dum eſt ſub vna forma; aliter dum eſt ſub alia.

## *Capitis quarti Explanatio.*

DE generatione a ) Poſtquam ſtatuit dandam eſſe generationem ſimplicẽ. Nũc quid ea ſit, & quopacto à cęteris mutationibus differat explicaturus; docet in primis quid nam inter eam, & alterationem ſit diſcriminis. Illud verò primũ conſtare inquit, ſubſtantiam, & accidentia non idem eſſe: quandoquidem ſubſtantia ſubiectum eſt, cui accidentia inhærent: accidentia verò ſunt, quę acceſſu ſuo, & receſſu variè rem afficiunt. Sumit quoque ex ſuperiori capite dandam eſſe non ſolùm accidentium, ſed etiam ſubſtantiarum generationem, mutationemvè.

## CAP. IIII.

*Text.23.* *DE a generatione autem, atque alteratione, quo inter ſe diſcrepent, agendum. Nam haſce mutationes inter ſe ſe diuerſas eſſe, dicimus. Cùm igitur ſubiectũ quippiam ſit, & affectio, atq; qualitas, quæ de ſubiecto nata eſt dici, ab eodem diuerſa ſit, ſitq; vtriuſq; horum mutatio: alteratio* b *ſanè eſt, quando ſenſibile ſubiectum permanens, in ſuis mutatur affectibus; qui aut contrarijs, aut inter contrarios medij ſunt; ſicuti corpus idem permanens, viciſſim modò ſanum, modò ægrum eſt: atque æs, quanquam idem, aliâs teres atq; rotundum eſt, aliâs anguli ſpeciem præſefert. At cùm* c *totum mutatur, nec ſenſibile quicquam, vt ſubiectum, idem permanet, ſed perinde euenit, vt cùm ex toto ſemine ſanguis, aut ex tota aqua aer, aut ex aere toto aqua fit: iam quod eſt tale, generatio huius eſt, & illius corruptio. Et maximè* d *ſi ex inſenſibili ad id* *Text.24.* *quod aut tactu, aut ſenſibus vniuerſis ſenſibile eſt, mutatio fiat, aut contrà: vt cùm ex aere gignitur aqua, aut eadem in aerem corrumpitur: etenim propemodum inſenſibilis eſt. Cæterùm in hiſce, ſi qua è contrarietate affectio eadem remaneat in eo, quod ortum eſt, quæ priùs in eo, quod in*

b Alteratio ſane eſt) Docet tunc eſſe alterationem cũ re integra, eodẽq; ſenſili ſubiecto manente penes contrarias, mediasvè qualitates mutatio fit. v. g. cũ idem corpus nũc calet, nunc friget; nunc cæruleo, nunc puniceo colore imbuitur. *Alteratio quid.* Ariſtoteles pro exemplis qualitatum, ad quas fit alteratio, affert ſanitatem, ægritudinem, & figurã, quia idem animal modò ſanum eſt, modò ægrum: idẽ corpus nunc rotũdã, nunc angularem figurã obtinet. Contra hæc obijcit D. Thomas quod ſanitas, & ęgritudo pertinent ad primam ſpeciem *Obiectio.* qualitatis, figura ad quartam: Ariſtoteles autem in Phyſicis decreuit neq; ad primam, neque ad quartam ſpeciem qualitatis, ſed ad tertiam duntaxat, dari per ſe alterationem. Quare non videri iſtiuſmodi exempla ad rem propoſitam facere. Occurrit D. Thomas alterationem primò & per ſe in ſolis tertiæ ſpeciei qualitatibus verſari: per accidens autem interuentu aliarum qualitatum inueniri etiam alterationem in alijs ſpeciebus, vt *Solutio D. Thomæ.* cũ per alterationem calidi, & frigidi mutatur animal è ſanitate in ægritudinem, aut è conuerſo; & cùm per alterationem mollitudinis, & duritię nouam accipit figuram. Nobis tamen hęc ſolutio non placet. Primũ quia ſanitas, & ægritudo per ſe quidem in nulla categoria conſtitui poſſunt, cùm non ſint vnumquid, ſed collectio multorum entium, nimirum quatuor primarum qualitatum. Reductitiè verò non in prima ſpecie qualitatis, cùm ſint qualitates ſubiectæ ſenſibus, ſed in tertia collocari debent, vt ſuo loco plenius, ac planius dicemus. *Non placet.* Pręterea exiſtimandum non eſt interuentu, ſeu merito quatuor primarum qualitatum dari alterationem ad ſanitatem, & ęgritudinem, tanquam ad rem ab ipſis qualitatibus diſtinctam; cũ ſanitas nihil aliud ſit, quã calor, frigus, ſiccitas, humor cum certa proportione ad naturã ſubiecti; ſimiliterq; ægritudo nõ ſit aliud quã eædem qualitates cum defectu illius proportionis, ſeu conuenientię. Quare dicendũ po-

Vera ſolutio.

tiùs eſt cū ad quatuor primas qualitates, in quibus ſanitas, & ægritudo conſiſtit, alteratio per ſe detur, dari etiam poſſe alterationem non per accidens, vt D. Thomas vult, ſed per ſe ad ſanitatem, & ęgritudinem (quanuis hæc non termin etur per ſe ad relationem proportionis, & conuenientiæ, quam ſanitas adiunctam habet, neque ad defectum talis conuenientię, quę ęgritudinem comitatur) proindeque exemplum ſanitatis, & ęgritudinis, quod Ariſtoteles attulit, non eſſe à re propoſita alienum.

Ad figuras non eſt per ſe alteratio.

Quod ad figuras attinet, & ſi inficiandum non ſit reſultare eas interdum poſt alterationem terminatam per ſe ad alias qualitates: expeditior tamen, & communior reſponſio ad obiectionē D. Thomæ erit, ſi dicamus in exemplis non requiri veritatem. Nā quod ad figuras non ſit per ſe alteratio, vel ex eo cōſtat (vt rationes alias omittamus, de quibus lib. 7. Phyſicor. cap. 3. quæſt. 1.) quia vt Ariſtoteles diſertè docuit, omnis alteratio eſt ad qualitates extremas, vel medias, hoc eſt, quę vel ſint duo extrema contraria, vt calor, & frigus; albedo, & nigredo; vel media inter duo extrema, vt color cęruleus, & puniceus: in figuris autem contrarietas non datur. Poſuit tamen Ariſtoteles hîc exemplorum loco figuras, quia in ijs magis conſpicuum erat fieri variationē permanente ſubiecto.

c At cùm totum mutatur) Tunc generationē dari inquit, ſimiliterque corruptionem, cū res tota ſic mutatur, vt ſubiectum ſenſibile, quod antea erat, non ſuperſit; vel vti cū ex aere ignis fit. Hinc colligunt interpretes tam generationis, quā corruptiōis definitionē.

Definitiō generatiōis, & corruptionis

Vtraque enim eſt mutatio totius nullo ſubiecto ſenſibili manēte. Ac quod vtrāque voluerit Ariſtoteles hoc loco definire inde patet, quia initio huius libri promiſit explicaturum ſe quid eſſet generatio, & corruptio: quod libro 2. cap. 1. text. 1. explicatū à ſe inquit; id autem non alibi, quā hoc loco pręſtitit. Sed de tota hac materia ſeparatī quęſtionibus diſſeremus.

*interijt erat, ceu ſi cū ex aere fit aqua, aeris perſpicuitas, aut frigus, in aqua remaneat: affectionū alterutrā eius eſſe, in quod mutatio fiat, minimè oportet. Sin minus, erit alteratio, v. c. muſicus homo corrūpitur, & homo nō muſicus gignitur; homo verò idē perſeuerat. Si ergò, muſica, atq; muſicæ vacuitas nō eſſet affectio per ſe hominis generatio profectò foret alterius, & alterius corruptio. Quapropter hæc hominis affectiones ſunt: hominis vero muſici, hominisq; nō muſici generatio, atq; corruptio. Nūc autē id eius, quod permanet affectus eſt. Proinde circa ea, quæ eiuſmodi ſūt, alteratio exiſtit. Cū igitur f cōtrarietatis mutatio in quātitate eſt, accretio eſt, atq; decretio: cū in loco, latio: cū in affectu, atq; qualitate, alteratio. At cū id non remanet, in quo affectuū alter, aut ōninò accidēs exiſtit, tū generatio vnius eſt, & alterius corruptio. Porrò ſubiectū ortus & interitus ſuſceptiuū, maximè quidē, ac propriè materies eſt, quodā autē modo & id quoq;, quod cæteris alijs mutationibus ſubijci ſolet: proptereaquod ſubiecta ōnia quarūdā cōtrarietatū ſuſceptiua ſunt. De generatione igitur & corruptione, ſi eſt nec ne, & quo pacto eſt, item de alteratione, hoc modo ſit definitum atque determinatum.* Rectat

d Et maximè ſi ex inſenſibili) Subſtantię mutationem maximè conſpicuā eſſe ait, cū ex inſenſibili in ſenſibile, aut è conuerſo, mutatio fit; hoc eſt, cū ſubiectū quod interit; vel quod denuò gignitur magis minuſvè ſenſus mouet. Veluti cū terra, quæ & ſub aſpectum cadit, & ob inſignē frigiditatē tactu magis ſentitur, ex aere generatur; aut contra aer ex terra.

e Cæterūm in hiſce) Non cōſentiunt interpretes in explicatione huius loci. Videtur tamē Ariſtoteles dubitationē quandā in eo remouere.

Dub.

Etenim cū dixiſſet in generatione mutari totū, in alteratione qualitates: ambigeret quiſpiā an in generatione totū dūtaxat mutaretur, & nō qualitates, quemadmodū in alteratione qualitates mutantur, non verò totum.

Solutio.

Reſpondet cùm qualitas eſt cōmunis genito, & corrupto, nō oportere illā mutari in oppoſitū, vt ſi aqua in aerē cōuertatur, aut cōtra; quia vtriq; humiditas, & frigus cōueniūt, nō oportet iſtiuſmodi affectiones deperire, aut in contrarias mutari. Nū velit hoc loco Ariſtoteles eandē numero, an eandē ſpecie dūtaxat affectionem, quę fuit in re corrupta, manere in re genita; ſeparatim diſſerendum à nobis erit, cū in quęſtionem vocabimus vtrum in interitu cuiuſq; rei fiat vſque ad materiam primam reſolutio.

Diſcrimen inter generationem, & alias mutationes phyſicas.

f Cùm igitur contrarietatis) Duplex ponit diſcrimen inter generationem, aliaſq; mutationes phyſicas, quorum alterum à termino ad quem; alteram à ſubiecto deſumitur. Primum eſt, quod terminus accretionis, & decretionis ſit maior, & minor quantitas; lationis locus, ſiue vbi; alterationis qualitas: generationis verò ſit id, cuius acceſſu tota ſubſtantia mutari dicitur, id eſt forma ſubſtantialis. Secundum eſt, quod ſubiectum generationis ſit materia prima in ſuo proprio ſignificatu, aliarum autem mutationum, ſit materia impropriè ſumpta.

QVAE.

# QVÆSTIO PRIMA

# QVID SIT ALTERATIO, & quo pacto ad generationem ſe ſe habeat.

## EXPLICATVR ALTERATIONIS Definitio.

*Vt 6. Topic. c. 5. & 2. Elench. c. 2.*

SAEpe admonet Philoſophus, ei, qui inueniẽdæ, aut illuſtrandæ veritatis ſtudio diſputat, declinandam eſſe, quaſi ſcopulos, vocabulorũ ambiguitatẽ; quòd nullus ſit frequentior Sophiſtis locus, magnaq; hinc pars errorũ exiſtat in õni diſciplina: videlicet quia, teſte Platone in Cratylo, & D. Auguſtino lib. 6. de quantitate animæ cap. 32. vt rerũ, ita verborũ cognatio, & ſimilitudo hallucinandi occaſio eſt. Quoniã igitur de alteratione, quæ generationẽ, & interitũ præit, diſſerere ſtatuim⁹, à multiplicitate, & notione verbi ordiemur. Alteratio, vt conſtat ex ijs, quæ tradita ſunt ab Ariſtotele lib. 7. Phyſic. cap. 2. text. 12. & lib. 2. de anima cap. 5. text. 51. & 58. alijſq; in locis, bifariã ſumitur: vno modo ſecundũ laxiorẽ ſignificatũ cõprehendentẽ tam ꝓprias, & germanas, quã improprias, & trãslatitias alterationes; atq; ita alterari dicim⁹ elemẽta nõ ſolũ dũ qualitatib⁹ inter ſe cõtrarijs imutantur; ſed etiam dũ ſolari luce perfunduntur; & animã cùm intelligit, aut ſentit, aliamvè eiuſmodi affectionem recipit: ſicq; alterationis nomen vſurpauit Ariſtoteles 8. Phyſicæ Auſcultationis lib. cap. 3. text. 26. cùm ſcripſit animum opinando, imaginandoque alterationis motum ſubire: ſic etiam Plato interdum animi affectus alterationes appellat.

*Plato. D. Auguſt.*

*Similitudo cauſa erroris.*

*De hac dupli ci notione alteratiõis Simpl. 2. de an. text. 58. D. Th. in 1. d. 17 q. 2. a. 1. Hér. Gand. quodl. 9. q. 3. Iand. 7. Phyſi. q. 6. & 7.*

*Duplex notio alterationis.*

*De hac re Theophraſt. & Strato apud Simpli. lib. 6. Phyſi. text. 32.*

Secundò accipitur alteratio minus amplè, magiſq; ad propriũ vſum, & cõſuetudinẽ Philoſophorũ, pro mutatione tantùm ſucceſsiua, quæ fertur in qualitatem ſubiectam ſenſibus, contrarium habentem, vti mox enucleatiùs explicabitur. Hoc poſteriori modo de alteratione locutus eſt Ariſtoteles primo libro de cœlo cap. 3. text. 20. vbi oſtẽdit corpus cæleſte alteratione vacare, eiuſdemque rei eſſe alterationem, & interitum admittere; atque in eodem ſenſu diſſeruit ſuperioribus huiuſce libri capitibus de alteratione; è cuius doctrina definitio hæc colligi poteſt. Alteratio eſt motus ad qualitatem ſenſibilem, mediam, aut extremam. Exempli gratia, calefactio aquæ, eſt alteratio; quia eſt motus ad calor em, qui eſt qualitas ſenſibilis, hoc eſt, per ſe mouens ſenſum, & eſt qualitas extrema; quia calor, & frigus ſunt duo extrema contraria. Non requiritur tamen ad rationem alterationis, vt ſemper in alterum contrariorum extremum tendat: ſat enim eſt, ſi vel feratur in extremum, vt in calorem, aut albedinem; vel in medium, vt in colorem cæruleum qui

*Definitio alterationis.*

Eius interpretatio.

inter candorem, & nigredinem medium obtinet. Porrò in hac definitione vicem generis habet motus; cætera locum differentiæ. Dicitur, motus, ad excludendas mutationes inſtantaneas, & vniuerſim quidquid non eſt motus, ſeu mutatio continuè facta. Additur, ad qualitatem, vt reijciatur verbi gratia, accretio, cuius terminus eſt quantitas, & alij motus, qui non verſatur in qualitatibus. Senſibilem, vt remoueantur mutationes continuæ, quibus interdum nonnullæ qualitates ſenſui nequaquam obnoxiæ áugeſcunt; vt cùm quis habitum iuſtitiæ intēdit, adhibēte voluntate per cōtinuā ſucceſsionē maiorē, ac maiorē conatum. Quod enim talis acquiſitio continua, atque adeò motus, etſi non Phyſicus, in ijs habitibus comparandis dari queat, oſtendimus lib. 3. Phyſicorum cap. 2. quæſt. 1. art. 2. Denique adijcitur, mediam vel extremam, vt ſecludantur motus, quibus qualitates ſenſibiles, expertes tamen contrarietatis, acquiruntur; cuiuſmodi eſt illuminatio, qua corpus lucidum aliud corpus illuminat, dum ad ipſum continua latione appropinquat, in eoque lumen continuè auget. Nō enim hæc luminis productio, alteratio propriè vocatur; quia lumen neque contrarium extremum, neque medium eſt. Ideò autem ſola alteratio hac definitione comprehenſa, alteratio propriè cenſetur; quia illa, cui traditæ in ea conditiones competūt, in ſolis rebus generationem ſubeuntibus inuenitur. Propria verò alteratio, vt ſcripſit Ariſtoteles lib. 7. Phyſicorum cap. 3. text. 16. & cap. 1. huius libri text. 1. generationis comes eſt, viaque ad illam. Neque officit quod non omnem alterationem ſubſequatur generatio: ſat enim eſt illam ad hanc naturæ præſcripto, atque inſtituto tanquam ad finem ordinari; adeò vt hac ſublata illam funditus tolli neceſſe ſit, docente Ariſtotele loco proximè citato. Nimirum, vt cæteras omittamus rationes; quia (ſicuti idem Ariſtoteles hoc in lib. cap. 7. text. 51. inquit) omne agēs nititur ſibi paſſū aſsimilare; non redditur autem paſſum perfectè ſimile, niſi aſſequatur formam ſubſtantialem eandem ſpecie cum forma agentis, ſi agens vniuocum ſit. Quare cùm eiuſmodi forma generatione inducatur, conſequens eſt, vt alteratio pro fine habeat generationē, quo dempto ceſſet: non enim natura media adhibet ad finem impoſsibilem. Lege Aegidium in interpretatione illius textus ad primum huius libri caput. Saxoniam quæſt. 3. Marſilium quæſt. 4.

Alteratio propria quæ ſit.

Obiectio.

Quod ſiquis obijciat nō omnem alterationē hic definitam ad generationē ordinari, vt patet in dealbatione, alijſque id genus alterationibus, quarū termini colores ſunt, qui nihil per ſe conferūt materiæ ad recipiendā formam. Occurrendum huiuſmodi quoq; alterationes ſuo modo generationem ſpectare, & ſi nō per ſe, & ex vi ſuorū terminorū; ſed quaten⁹ eas perpetuò comitatur mutatio circa primas qualitates generationis opifices, ex quarū varia cōmiſtione oritur colorū diuerſitas. At enim quia iſtiuſmodi alterationes non per ſe generationem ſpectāt, conſueuit adhuc ſtrictiùs ſumi alteratio; nimirum pro ea, quæ ad ſolas primas qualitates tendit, & hæc à Philoſophis generationis comes abſolutè vocatur, diciturque alteratio; quia tendit ad alterum

Dilutio.

Conſule D. Tho. opuſc. 37. cap. 1.

pecu-

Lege Ariſt. lib. 2. huius op. c. 2. text. 8. peculiari modo acceptum, per quod videlicet, tanquam per medium itur ad aliud, ideſt, ad compoſitum diuerſæ naturæ, quod eſt terminus generationis.

## ARTICVLVS II.

## QVIBVS REBVS INTER ſe alteratio, generatioque diſsideant.

Qvia ad rei, de qua agitur, naturam introſpiciendam multùm confert obſeruare eius ab alijs rebus diſsimilitudinem, ijs præſertim, quæ cum ea maiorem habent affinitatem, & cõiunctionem; operæ pretium erit quæ potiſsimùm inter generationem, & alterationem diſcrimina ſint, explicare. Differunt igitur primùm alteratio, & generatio penes terminos, à quibus proficiſcuntur: quia terminus à quo alterationis, eſt poſitiuum quid. Nam cùm Socrates alterationis motu albeſcit, è nigro v. g. efficitur albus: Terminus autem à quo generationis, teſte Ariſtotele lib. 1. Phyſic. cap. 7. text. 58. eſt aliquid priuatiuum; ignis enim è non igni priuatiuè accepto generatur. Quod item ſignificauit Ariſtoteles cap. 3. huius lib. text. 11. docens generationem ſimpliciter eſſe, qua fit ens ſimpliciter ex non ente ſimpliciter. Vbi per non ens ſimpliciter, non intelligit negationem toti⁹ entis, quod eſt nihil (quia ex nihilo viribus naturæ nihil fit) ſed non ens actu; vt generatio ſimpliciter dicatur effici ex non ente actu, cuiuſmodi eſt materia cum priuatione, vt interpretatur D. Thomas. Primum diſcrimen. Ariſtot.

Differunt ſecundò ratione terminorum, ad quos tendunt, quia terminus ad quem alterationis, eſt qualitas; generationis verò ſubſtantia. Vnde per generationem tribuitur rei genitæ eſſe ſimpliciter; per alterationem eſſe ſecundum quid; quia nimirum res per ſubſtantiam habet eſſe abſolutè; per qualitatem eſſe tale, vt eſſe calidum. Hinc fit, vt generatio longè ſit præſtantior alteratione; quãdoquidẽ, vt aduertit D. Thomas 1. p. quæſt. 45. ar. 1. colligiturq; ex ijs, quæ docuit Ariſto. lib. 1. Phyſic. cap. 1. text 4. & cap. 45. text. 31. & 48. mutationis excellentia dignitate termini ad quem æſtimatur; at ſubſtãtia dignior eſt qualitate. 2. Diſcrimen.

Tertiò differunt, quia alteratio eſt motus, proindeque ſucceſsionẽ vendicat: generatio autem non motus eſt, ſed mutatio ſubita, vt ſentit Ariſtoteles lib. 5. Phyſic. cap. 1. text. 8. & lib. 6. cap. 5. text. 45. eiuſque intrepretes tum inibi, tum ad textum 129. libri 4. operis eiuſdem, & D. Damaſcenus in ſuis Phyſicis cap. 7. Qua de re in progreſſu fuſiùs. 3. Diſcrimen. Auer. 4. Phyſ. com 129 Simpli. 5. Phyſic. text. 8.

Quartò, quia omnem generationẽ proximè antecedit alteratio. Nã citra opem qualitatum, quibus materia ad nouam formam accipiendam præparatur, nihil gigni poteſt: at non omnem alterationem proximè anteit generatio: quãdoquidẽ licet tẽpore generationis momẽtũ 4. Diſcrimen.

ſubſe-

ſubſequente res genita alterari queat, non tamen id rata naturæ lex, aut neceſsitas poſtulat.

5. Diſcrimen.

Quintò, quia generatio recipitur in nudam materiam, vt in 3. lib. Phyſic. cap. 1. text. 7. & hoc in lib. cap. 4. text. 24. Ariſtoteles monuit; at ſubiectũ alterationis eſt materia ſub actu formæ conſtituta, quod Ariſtoteles text. 23. capitis proximè citati vocat ſubiectũ ſenſibile, aiens alterationem effici eodem ſubiecto ſenſibili permanēte. Ideò autem huiuſcemodi tranſmutationum id, quod diximus, ſubiectum eſt, quia id earum ſubiectum cenſeri debet, quod vtrique termino ſubijcitur, & idemmet ab vno extremo ad aliud transfertur; ita verò ſe habet ſubiectum ſenſibile reſpectu alterationis, & materia prima in ſe ſumpta reſpectu generationis. Nam cùm Socrates ex candido fit pallidus, idemmet per ſucceſsionem candori, & pallori ſubeſt, & à candore ad pallorem migrat. Item in generatione, ſola materia prima ſub vtroque extremo eadem perſeuerans à priuatione ad formam tranſit; ſiquidem prioris formæ abceſſu omnia vetera accidentia extinguuntur, vt progreſſu oſtendemus. Vbi licet obiter aduertere cum D. Thoma lib. 4. contra gent. cap. 63. mirum diſcrimen inter tranſubſtantiationem, quę fit in myſterio diuinæ Euchariſtiæ, & inter generationem ſubſtantialem: in hac enim manet ſubſtantia, nempe materia, & pereunt accidentia: in illa perſeuerant accidentia panis, & vini, & deſinit eſſe eorum ſubſtantia.

D. Tho. de potent. q. 3. a. 2.

Subiectũ generationis, & alterationis.

Rich. in 4. d. 11. q. 5. circa 1. prin.

D. Thomæ obſeruatio.

## ARTICVLVS III

## DVBII CVIVSDAM enodatio.

QVæri à quibuſdam ſolet non minus obſcura, & difficili, quàm curioſa, & iucunda inueſtigatione, vtrum cùm Polypus, Chamæleon, & aliæ quædam animantes, rerum, quas attingunt, colores exhibent, veram ſubeant alterationem, qualem primo huius quæſtionis articulo definiuimus. Conſtat in primis experientia, refertq; Ariſtoteles lib. 9. de hiſt. anim. cap. 37. Plinius lib. 9. cap. 29. Oppianus lib. 1. Solinus Polyhiſt. cap. 43. Lucianus in ſermone Menelai, & Protei, alijq; nonnulli polypum cuicunq; ſe petræ affixerit, eius colorem repræſentare, adeò vt piſces falſa imagine deluſos, & vltro ſe prædoni offerentes deuoret, ſicuti teſtatur D. Baſilius homil. 7. de mundi opificio, & D. Ambroſius cap. 8. lib. 5. Hexameron. Similiter compertum eſt Chamæleontem reddere colores corporũ, quibus inſederit, vt teſtatur Plutarchus in ſymboſiacis, & in cōmentario de adulatione, & alibi, D. Gregor. Nazianz. prima inuectiua in Iulianũ. D. Auguſt. lib. 11. de Trinit. cap. 2. D. Iſidorus lib. 2. orig. cap. 2. Tertullian⁹ in lib de pallio, poſt Ariſtotelē lib. 2. de hiſt. anim. cap. 11. & lib. 1. Ethic. vbi ait, ſiquis à fortuna pēdeat, & cũ illa ſubinde mutetur, futurũ vt veluti Chamæleon quiſpiã identidē varietur, nũc felix, nunc

Ariſtot. Plinius. Solinus. Lucianus. D. Baſil. D. Ambroſ.

D. Baſilius in oratione 11. de inuidia, & ira, & in lib. de gentilium lectione.

Pluthare. D. Greg. Na. D. Auguſt. D. Iſidor. Tertulli.

Item Abulenſ. ad cap. 11. Leuit. q. 49.

nunc miſer; & vcunque fors alio, atque alio vultu reſpexerit, ita hunc quoque, vultum atque animum mutare.

Tarãdus etiam (animal id Scytharum eſt, bouis magnitudine, bifida vngula, ramoſis cornibus, vrſino colore, capite ceruino ſimili) vt affirmat Plinius libr. 8. capit. 34. & Solinus Polyhiſt. capit. 43. cuicunque rei appropinquarit, concolor ei fit, ſaxis, frutetis, floribus: denique ſui coloris eſſe non libuit, ſed alieni. Porrò autem quod ad Polypum attinet, Plutarchus in lib. de cauſis naturalibus cap. 19. ait Polypum carnem foraminibus, meatibuſque compluribus diſtinctam habere, ideòque deſluxu atomorũ è marinis ſaxis ad ſe attracto, receptoque, ijs corpuſculis veſtiri, & eorum colore circunquaque perfundi. Hæc ratio minimè probanda eſt. Sapit enim Democritũ dogma aſſerens actionem rerum naturalium fieri per expirationem corporum ab agente, & receptionem eorundem in poris rei, quæ patitur, quod Ariſtoteles hoc in lib. à text. 57. vſque ad textum 76. confutat. Nam ſi ita res haberet, extenuarentur, & contabeſcerent corpora, dum viciſsim agunt, ac perfectio illa, quam operando obtinent, in eorum incõmodum, & diſpendium perpetuò cederet. Nec ſatisfacit Plutarchus aiens illam atomorum emiſsionem peculiarem habere cauſam in re ſubiecta, proptereaquod petræ littorales, cùm aſsidua maris alluuie irrigentur, ac feriantur, frequenter à ſe exigua fruſtula dimittunt. Nec enim veriſimile apparet ea fruſtula tam breui tempore ſic Polypo aptari, & inhæreſcere, vt eum mox vndique tam concinnè veſtiant, ac pingant, nec eadem alluuie, & ſalo huc illuc fluctuante dilabantur. Adde quod Polypus etiam, cùm ſe applicuit præduro ſaxo, quod eiuſmodi deſfluxiones non admittit, eius colorem refert.

De Tarãdo Plinius. Solinus. Plutarch.

Refellitur opinio. Democrit.

Theophraſtus cauſam huius mutationis reijcit in genuinam quandam animalis ignauiam, & pauorem. Itaque transmutari Polypum cenſet eo pacto, quo homines, qui pro varietate perturbationum, metus, aut iræ v. g. commotis ſpiritibus hoc, aut illo colore afficiuntur. Conſtat enim Polypum natura meticuloſum eſſe, & trepidum; adeò vt (quod teſtatur Athenæus) ſtrepitu audito, aut viſo piſcatore omnino conſternetur, nec cedat, aut fuga ſibi conſulat, vt reliqui faciunt piſces; ſed ſaxis, quæ primò occurrunt, ſe applicet, & cruribus illiget. Hæc Theophraſti reſpõſio difficultatem minimè ſoluit. Namque eſto Polypus metu decoloretur, & expalleſcat confluentibus ad intima ſpiritibus, & ſanguine; non tamen cauſa redditur, cur etiam nulla pauoris cauſa interueniente colorem mutet pro ſubiacentium corporum diuerſitate. Addit Plutarchus in libro, quo diſſerit plus ne rationis inſit aquatilibus beſtijs, quàm terrenis, Polypum non trepidatione, ſed ex induſtria ſe ſe transformare, & eum colorem quaſi veſtitum dolo induere, vt hoc ſtratagemate inſidias moliri, prædam agere, non cauentibus obrepere, & dolum ſtruentibus fucum facere queat. Quo artificio tantum proficit,

Reſponſio Theophraſt.

Impugnatur.

E tan-

tantum comparat alimenti, vt tametſi alioqui ſtolidus habeatur, vt pote qui ſe vrinātium manu facilè capi ſinat, & ad eam adnatet; ab Ariſtotele tamen loc. cit. egregius œconomus, ac rei domeſticæ adminiſtrator appelletur.

Polyp9 rei familiaris prudens.

Quod ad Chamæleontem ſpectat, Plutarchus proximè citato loco ait, illum ex metu, vicinarum rerum colores aſsimulare; ſed hæc opinio coarguitur ea ratione, qua paulo ante aduerſus Theophraſtū de metu polypi diſſeruimus. Diuus Auguſtinus lib. 11. de Trinit. cap. 2. videtur ſentire eam mutationem ex imaginatione naſci, quia nimirum Chamæleon, cùm totus penè in pulmonem abeat, & plurimo infletur ſpiritu, atque adeo ob corporis tenuitatem mutationibus per quam obnoxius ſit, colores, quos apprehendit, imaginaturque, ſibi met imprimit. Voluntas, inquit, circa imaginem ſenſui impreſſam tantam vim habet, vt ſi admodum violenta ſit, vbi non reſiſtit pigrior, duriorque materies, viſibilem ſpeciem, coloremque commutet. Licet videre corpuſculum Chamæleontis ad colores, quos videt, facillima conuerſione variari. Hæc D. Auguſtinus.

Opinio D. Auguſt.

Duo tamen ſunt, quæ rationem hanc minus probabilem reddunt. Primum, quod non videatur imaginatio Chamæleontis adeò ſemper intenta, ac vehemens eſſe in apprehendēdis coloribus, vt ad eos corpori imprimendos perpetuò efficax ſit: & tamen ſi quando alijs in rebus imaginationi ſimiles effectus à quibuſdam Philoſophis tribuūtur, ij non ei ſemper, ſed duntaxat, cùm vehementer intenta eſt, quantumlibet materia idonea, aptaque ſit, tribui ſolent. Deinde Chamæleon non omnes, ſed tantùm ſuppoſiti ſibi corporis colores reddit: at fieri poteſt, vt hos non concipiat, ſi nimirum aliò dirigat aſpectum. Item non repræſentat aut vicinos, aut diſtantes, quos in alijs corporibus, quibus non inſidet, contuetur; cùm tamen hos imaginatrice facultate apprehendat: non eſt ergo putandum ab imaginatione hos ei colores indi.

Quid igitur ſtatuendum? certè facilius eſt quæ alij dicunt impugnare, quàm dicere, quæ alij non impugnent. Illud certum eſt, quod didicimus narratione eorum, qui Chamæleontem in Africa, & Braſilia ſæpe viderunt, nempe illum obſcurè admodū colores referre, & primò quidem obſcuriùs, ſubinde maiori perſpicuitate, ita vt paulatim in eo peregrinus color eluceat. Deinde aduertendum etſi Chamæleon aduētitios colores repræſētet; vnū tamen vēdicare ſibi natiuū, ac propriū, colori lacertæ ſimilem, qui tanto magis abſcōditur, quāto illi nitidiùs apparent. His poſitis placet nobis ea, quæ videtur eſſe cōmunior auctorum, qui de hac re diſſeruerunt, ſententia; nimirum tam polypum, quàm Chamæleontem, aliaq; ſimilis naturæ, & ingenij animantia colores illos reddere, non quod ijs re ipſa imbuantur, ſed quia cùm habeant corpus rarum, & tranſmeabile, per id tanquam per vitrū cernuntur rerum ſubiacentium colores; qui tamen, hallucinato aſpectu, in ipſis animantibus videntur inſidere; quemadmodum & vitrū rebus coloratis impoſitū pingi videtur coloribus, qui per ipſū trāſlucent

Solutio dubij initio art. propoſiti.

lucent. Huius rei argumentũ eſt, quod Chamæleon, & polypus, quod alijs id genus ſimiliter accidit, ſubiectos duntaxat colores referunt: & Chamæleon quidem tunc potiſsimùm, cùm aere inflatur, referente Ariſtot. lib. 2. de hiſt. anim. cap. 11. videlicet quia tũc quaſi aerius, ac magis rarus, & translucidus euadit: ſicuti & polypus, vt teſtatur etiam Ariſtoteles lib. 4. de part. anim. cap. 5. dum timore vrgetur, quia tũc gelidus coit in præcordia ſanguis, & color, qui magis tranſparentiam impediret, euaneſcit. Hinc intelliges, quod ex Plutarcho ſuperiùs retulimus, polypum de induſtria ſe transformare mutando colorem ad inſidias, verum non eſſe; cùm ille ſiue inſidietur, ſiue non, ſubiecti ſoli colores perpetuò repræſentet. Nec verò dictis obſtat, quod nonnunquam, ſaltem in Chamæleonte, ſeu potius per Chamæleontem, nõ ſtatim á principio colores diſtinctè apparent. Poteſt enim eius rei cauſa eſſe, quod tunc maiorem aeris copiam ſenſim hauriendo, paulatim fiat translucidior, & ad reddendum colorem aptior. Nec item officit quod Chamæleon, teſte Ariſtotele 2. de hiſt. animaliũ cap. 7. palleſcit cùm moritur, eundemque in poſterum colorem retinet, nec reddit alienos. Id enim propterea accidit quia ob caloris defectũ concreſcit in eo ſanguis, alijque humores; atque ita amittit diaphaneitatem, qua colores translucebant.

Refellitur ſolutio Plutarchi.

Quibus ita conſtitutis ad dubium, quod huius diſceptationis caput erat, reſpondemus prædicta animalia, cùm in ſe eiuſmodi colores re ipſa minimè recipiant, haud quaquam ſecundum eos alterari, nec itẽ ſecundum eorum imagines, quia has non motu, ſed inſtantanea mutatione recipiunt, & ad oculos transfundunt. Nec ſi talis mutatio ſucceſsiua foret, alteratio propriè cenſenda eſſet, cùm alteratio ſit inter contraria, & ſpecies tam ſenſiles, quàm intellectiles, omni contrarietate vacent.

## QVÆSTIO. II.

## VTRVM ALTERATIO SIT continua, nec ne.

### ARTICVLVS. I.

### *QVI PARTEM NEGATIVAM tueantur, & quibus argumentis.*

IN hac controuerſia aduertendum primò duobus modis intelligi poſſe aliquam mutationem eſſe continuam. Nimirũ vel ratione mobilis, quia in eo per continuum fluxum forma extenditur: vel ratione formæ, propterea quod ipſa in

Duplex opinio de modo, quo qualitas intenditur.

eadem parte ſubiecti continuè perficitur, intenditurque; ſiue eiuſmodi intenſio fiat ſecundum accrementa variarum partium, graduumque diuerſorum eiuſdem qualitatis, vt ſentit Scotus in 1. ſent. diſtin. 17. quæſt. 3. D. Bonauentura ſecunda parte eiuſdem diſt. q. 2. Gabriel, & Gregorius quæſtione 4. Ochamus quæſt. 6. Maior. quæſt. 8. alijque nonnulli: ſiue abſque nouorum graduũ adiectione, accedente duntaxat modo quodam nobiliori, ſecundum quem eadem qualitas altiores quodámodo radices agat in ſubiecto, illudque magis actuet, & à poteſtate euocet; quod appellant intendi per maiorem radicationem. Quam ſententiam amplexus eſt D. Thomas tùm alibi, tum in prima ſecundæ quæſt. 52. ar. 2. Caietanus eodem loco, Capreolus in 1. diſt. 17. quæſt. 2. concluſione 4. Ægidius q. 1. ſecunda parte diſt. Argentinas ibidem art. 2. Carthuſianus quæſt. 2. & alij.

Sententia negantium alterationẽ eſſe motum continuum.

Sunt igitur qui opinentur alterationem neutro modo continuam eſſe, ſed tam intenſionem, quàm extenſionem qualitatis fieri per minima interiectis morulis; exempli cauſa, cùm ignis aquæ applicatur, dari in aqua particulam quandam certæ, definitæq; magnitudinis igni viciniorem, quæ tota ſimul attingitur, & perfunditur calore, ita vt in nullam partem ea minorem calor produci queat. Præterea calorem vendicare ſibi minimam quandam intenſionem, qua ignis neque minorem, neq; maiorem ſimul in re patiente efficere valeat. Itaque ex ſententia horum Philoſophorum poſtquam ignis aquam attigit, & frigoris repugnantiam aliquanto tempore debellauit, momento quodam nũc remotiore, nũc propinquiore, pro agentis efficacitate, alijsq; circunſtantijs, producit in aqua primum minimum caloris, idq; æquabiliter in tota illa prima, & minima extenſione. Deinde eo producto tantiſper ſubſiſtit aqua ſub illo minimo; nec ignis aliud mox inducit, ſed aquam vlteriùs diſponit, ſibiq; ſubijcit, donec rurſus in alio inſtanti minimum antea genitum magis perficiat, atque intendat, & nouum aliud in alia parte ſubiecti proxime cohærenti efficiat; ſicque per huiuſmodi accremẽta progreditur alteratio ſucceſsione quadam; dum generatio vnius gradus, ſiue vnius particulæ perfectionis ſuccedit generationi alterius; non tamen continuè, quia mobile ſub quolibet minimo aliquantulùm quieſcit.

Hæc opinio ita à nobis explicata defenditur à Capreolo in 1. ſent. diſt. 17. quæſt. 2. art. 2. à Soncinate lib. 8. Metaphys. quæſt. 22. à Iauello, & à Ferrarienſe 8. Phyſic. quæſt. 7. & quibuſdã alijs D. Thomæ ſectatoribus. Poteſt autem ſuaderi in primis quoad eam partem,

Argum. pro negatiua parte.

quæ aſſerit alterationem non eſſe continuam ratione ſubiecti, hunc in modum. Negari non debet dari minimam qualitatem ſecundum extenſionem; igitur qualitas non diffunditur cõtinuo motu in ſubiecto. Probatur aſſumptum multifariè; primùm quia forma ſubſtantialis eſt definita verſus minimum, vt à nobis in primo Phyſicæ auſcultationis libro oſtenſum fuit; ergo & forma accidentaria eodem pacto definita erit; cùm vtrobique eadem ratio eſſe videatur. Secundò, quia ſi non daretur minima qualitas quoad extẽſionem in inſtanti producta, ſed

Cap. 4. q. 1.

De medio quoad extẽſionem lege

etiam Auerr. lib. 8. Phyſic. com. 23. lãdunum lib. 6. Phyſic. q. 15. Aegidium 1. huius op. q. 23.

ſed in qualibet portione quãtitatis verſus agens eſſet aliqua pars, quæ priùs ſucceſsiuè fuiſſet alterata, ſequeretur res permanentes non incipere per primum ſui eſſe, cuius oppoſitum docet Ariſtoteles 8. Phyſic.. cap. 8. tex. 69. Tertiò quia cùm vnumquodque ſit operationis ſuæ gratia teſte Ariſtotele lib. 2. de cœlo cap. 3. text. 17. alienum eſt à natura gignere aliquid in eo ſtatu, quo operari congruenter nequeat. Cùm igitur qualitates certam quantitatem depoſcant ad congruenter operandum, non patietur natura gigni eas in quantumlibet exigua parte ſubiecti, ſed certa, ac definita verſus minimum. Accedit auctoritas Ariſtotelis lib. 8. Phyſic. cap. 3. tex. 23. vbi ait eos, qui rem continuè alterari prædicant, rebus perſpicuis aduerſari.

Vnũquodq; eſt gratia ſuæ operationis.

Iam verò quod alteratio nec quoad intenſionem graduum cõtinua ſit, ſed per minima, & per certa momẽta diſcretè fiat, ex eo oſtenditur, quia ſi alteratio huiuſmodi continuitate prædita eſſet, in quolibet momento temporis, quo res alterationem ſubit, produceretur noua qualitatis particula diſtincta à prioribus; quare cùm in quolibet tempore infinita ſint momenta, ſanè peracto motu alterationis qualitas producta infinitos gradus, infinitamque intenſionem actu cohiberet. Deinde quia ſi acquiſitio, atque adeò & remiſsio qualitatis non fieret per certa minima, concedendum eſſet calorem in infinitum remitti poſſe contra Ariſtotelem 6. Phyſic. cap. 10. text. 93. aientem in nulla mutatione infinitudinem dari. Conſequutio probatur, quia tunc non daretur calor ſub tam exigua intenſione, quin adhuc ſub minori ſeruari poſſet, atque adeo & in infinitum diminui. Poſtremò erit qui ita argumentetur, tota qualitas contraria, quæ iam erat in ſubiecto, momento pellitur: ergo ea, quæ per alterationem aduenit, momento inducitur, proindeque alteratio ratione formæ, quæ acquiritur, nec ſucceſsiua, nec continua eſt. Aſſumptum probatur, quia ex partibus intenſiuis qualitatis in eadem ſubiecti portione pari firmitate inhærentibus non eſt maior ratio, cur acceſſu contrariæ potiùs hæc, quàm illa priùs aboleatur; quare ſimul vniuerſæ interibunt, eodemque puncto temporis tota qualitas contraria ſubiectum occupabit.

## ARTICVLVS II.

## SOLVTIO QVÆSTIONIS.

Veriſimilior tamen eſt, ac magis Peripatetica ſententia Greg. Ariminenſis in 1. ſentent. diſt. 17. q. 2. art. 1. Gabrielis quæſt. 4. & aliorũ exiſtimantiũ alterationẽ ſimpliciter motũ cõtinuũ eſſe. Primùm, quia ſi alteratio non fieret niſi per minima diſcreta, & momẽtanea, vt aduerſarij putant, ſequeretur contra doctrinam Ariſtotelis lib. 5. Phyſic. cap. 1. text. 10. & cap. 2. text. 18. nullam mutationẽ eſſe verum motum, imo nec eſſe mutationem vnam, ſiquidem omnis motus eſt continuus teſte eodem Ariſtotele lib. 3. Phyſic. cap. 2. text. 6,

Argumenta pro parte affir. quæſt.

& lib. 6. eiuſdem operis cap. 6. text. 59. & lib. 5. Metaphyſ. text. 18. & omnis mutatio vna requirit vnitatem durationis, docente etiam Ariſtotele 5. Phyſic. cap. 4. text. 41. quam vnitatem neceſſe eſt interpoſita quiete diſſolui. Secundò, quia ſi in alteratione detur primum minimum, fas erit deſignare in ea primum mutatum eſſe, cuius oppoſitum aſſerit Ariſtoteles lib. 6. Phyſic. cap. 5. text. 46. Item non ante quodlibet mutatum eſſe præcedet moueri, contra eundem libro eodē cap. 6 text. 55. Adde quod ſi huiuſmodi minimum eſſet æquabili tractu, parique intenſione diffuſum in priori parte ſubiecti ; ſequeretur agentia naturalia non explicare primò ſuas qualitates per actionem vniformiter difformem : ſiquidem iſtiuſmodi actionis lex non patitur dari, ſaltem á principio actionis, in aliqua certa parte rei patientis æqualem intenſionem caloris, vt alibi expoſuimus.

Ariſtot.

Lib. 6. Phyſic. c. 2. q. 1. ar. 2.

Præterea quod illa quies, quam inter quælibet duo minima alterationis dari autumant, fictitia ſit, ita concluditur. Producat ignis in aqua primum caloris minimum: tunc quonam modo ſe habet tempore proxime ſequenti ? agit ne aliquid, an nihil ? ſi nihil, otiatur igitur: cùm tamen nihil ei abſit, neque obſit, quominùs agat. Si aliquid, ecquidnam illud eſt ? reſpondent, interim pręparare, ac diſponere aquā ad alterum minimum recipiendum. Sed rurſum quærimus, num ea præparatio fiat nihil omnino producendo, an producendo aliquam qualitatem, v. g. Si dent primum, ex eo refelluntur, quia intelligi non poteſt quo pacto ignis actione tranſeunte agat in vlteriorem extenſionem, quæ nihil adhuc caloris ab igne accepit, & tamen in eam nihil producat. Si poſterius, vt quidam eorum dant, aientes produci interim ab igni quandam raritatem calori præuiam: iam hic multis modis impugnantur. Nam vel eiuſmodi raritas continuè gignitur, vel diſcretè: ſi continuè, admittunt continuam alterationem, quam negabant: ſi diſcretè, eadem quæſtio, eademque impugnatio redibit. Deinde, aqua priùs caleſit, tum interuentu caloris in raritatē abit. Non igitur ignis antequam calefaciat, raritatem calori præuiam infert. Tertiò, Aqua globo vitreo vndique obturato incluſa tepeſcit radio ſolis, nec tamen rareſit; alioqui confeſtim globus defringeretur non valens aquam ſub ampliori quantitate continere. Igitur ortum caloris non ſemper raritatis productio antecedit.

Non poſſe dari quietem inter quælibet duo minima alterationis.

Poſtremò, cùm lucidum corpus motu continuo ad opacū accedit, continuè in eo lucem auget: ergo lux continuo alterationis motu intenditur. Probatur antecedens, quia quodlibet agens, quo patienti fit propinquius, eò in id fortiùs agit, proindeque magis in eo intendit qualitatem, quam in ipſum transfundit: quare ſi corpus lucidum continuo motu ad opacum progreditur, pari continuitate lucem intendet. Hoc argumentum (etſi non ſit ab alterationibus propriè ſumptis, nec enim illuminatio de earum numero eſt, vt ex ijs, quæ ſuperiori quæſtione explicata ſunt, conſtat) perurget aduerſarios, nulli omnino alterationi continuitatem dantes : ſatisfacere tamen nituntur negando incrementa lucis reſpondere continuo acceſſui corporis lucidi ad

Reſpōſio aduerſariorū.

ad opacum. Sed non ſatisfaciunt, cùm nullam idoneam afferant rationem, cur ſi corpus lucidum tempore proximè hoc inſtans ſequente eſt opaco vicinius, & nullo interim impedimento retardatur; cur, in quam, non illico intenſiorem gignat lucem: præſertim cùm iam hic nullum detur effugium ad raritatem; tum quia traijciendæ, imprimēdæque luci non exigitur præuia raritas: tum quia poteſt ſumi argumentum à ſole comparatione cæleſtium ſphærarum, quæ recipiendo lucem non rareſcunt. Soncinas loco citato aduerſariæ partis argumētis preſſus decernit tandem in fine quæſtionis tutiorem fortaſſe, ac magis compendiariam rationem ad tollendam continuitatem alterationis eſſe, quòd eam natura ipſa qualitatis non ferat; quia cùm limitatæ perfectionis ſit, nec poſsit in infinitum diuidi, conſequens eſt vt continuo motu cōparari nequeat, ſed per interualla, & diſcreta inſtātia. At quàm futilis ſit hæc reſponſio facilè apparebit ex argumentorum ſolutione, qua perſpicuum fiet continuitatem motus non rectè arguere infinitudinem formæ, quæ acquiritur.

*Quæ non ſatisfacit*

*Solutio alia Soncinatis.*

*Quæ minus placet.*

## ARTICVLVS. III.

## DILVVNTVR PRIMI Articuli argumenta.

IGitur ad primum argumentum eorum, quæ probare nitebantur alterationem non eſſe continuam ex parte ſubiecti, negandum eſt antecedens, & ad eius probationem dicendum, quod primo libro Phyſic. cap. 4. quæſt. 1. art. 9. monuimus, non eādem eſſe rationem in formis ſubſtantiarum & accidentium; namque ſubſtantiarum formæ ſicuti nobiliores ſunt, ita ad ſui ortum plus requirunt, atque inter cæteras diſpoſitiones definita egent quantitate: at formæ accidentiū, vt pote deterioris notæ, & conditionis, non eodem pacto ſe habent. Ad ſecundum, res permanentes, quatenus motu producuntur, cum eo incipere, ac deſinere ad eum modum, quem 8. Phyſicorum cap. 8. q. 2. art. 2. expoſuimus. Quare nihil mirum ſi qualitas, dum alterationis motu gignitur, non incipiat per primum ſui eſſe, ſed per vltimum non eſſe, vt motus. Ad tertium dic effatum illud, vnumquodque eſt operationis ſuæ gratia, potiſsimùm intelligi de rebus per ſe cohærentibus, quibus vt eſſe per ſe, ita & agere propriè conuenit; minus præcipuè verò de formis accidentarijs. Quo fit, vt non multum laboret natura, ne has in eo ſtatu gignere incipiat, in quo mox operari cōgruenter nequeant. Adde etiam multo plus requirere quamlibet ſubſtantiam ad functiones ſuas obeundas, quàm vnumquodque accidens ad ſuas.

*De inceptione rerum permanentium.*

Ad locum ex 8. Phyſicorum dicimus nihil cum ijs, quæ aſſeruimus, repugnare: nec enim ibi Ariſtoteles negat alterationem eſſe motum continuum, ſed Heraclitum reprehendit, qui veritati palam contradicebat

*Explicatur locus Ariſto. in Phyſicis.*

cebat affirmãs omnia in continuo motu eſſe. Cuius dogmatis meminit etiam Ariſtoteles lib. 4. Metaphyſic. cap. 4. & Plato in Theæteto. At inſiſtunt nihilominus aduerſarij, vrgentque auctoritate huius loci, exiſtimantes magnum ſe in eo habere præſidium ad ſuam ſententiam tuendam. Videtur enim ibi Ariſtoteles non ſolam perennitatẽ Heracliticæ mutationis coarguere; ſed tam decretioni, quàm alterationi ſuam propriam continuitatem adimere. Nam cùm antea ſtatuiſſet nihil cõtinuè augeri, aut minui poſſe, ſed oportere dari intermediam quietem; ſubijcit, Similiter autem & in omni alteratione; Non enim ſi id, quod alteratur, infinitè poteſt diuidi, iccirco & alteratio; ſed ſimul fit ſæpe, vt coagulatio. Quibus verbis negat alterationem diuiduam eſſe diuiſione ſubiecti, in quo inſidet; quæ tamen haud dubiè diuidua foret, ſi continuam extenſionem comparatione ſubiecti vendicaret. Sed occurrendum cum Gregorio Arimenſi in 1. diſt. 17. quæſt. 2. Ariſtotelicæ diſputationis filium eo loco ita ſe habere. Primò quidem Ariſtoteles abſolutè, & in cõmune reijcit dogma exiſtimantium omnia perenni motu agi, neque vllo tempore quieſcere. Deinde particulatim oſtendit falſum id eſſe in ſingulis motibus, vt in motu ad quantitatẽ, quia impoſsibile eſt eandem rem continuè, id eſt, ſemper augeri, & diminui; ſed aliquam neceſſe eſt interponi quietem. Idemq; ait pronuntiandum de altetatione; quia nihil alteratur continuè, ideſt, ſemper, ſed interdum quieſcit. Quod autem ſubdit, Non ſi id, quod alteratur, infinitè poteſt diuidi, iccirco & altetatio: hũc habet ſenſum, eſto quodlibet ſubiectum quantum, quod alterationem recipit, infinitas habeat partes, in quas ſecari poſsit, haud propterea quælibet alteratio obtinet partes infinitas, hoc eſt, quæ non niſi infinito tempore tranſigi debeant, ſicuti Zeno de motu locali putabat, aſſerens nihil eo moueri poſſe; quia oporteret mobile finito tempore decurrere in magnitudine infinitas partes, quæ tempus infinitum poſtulent. Non obtinere verò alterationem eiuſmodi infinitudinem ex eo oſtẽdit Ariſtoteles, quia videmus res interdum ſubitò alterari, vt cùm aqua vi frigoris in gelu concreſcit. Ac quod non neget eo loco alterationem ſecundùm formam, quæ per eam gignitur, eſſe diuiduam, & continuam, ex parte ſubiecti, in quo diffunditur, patet; quia alioqui ſibi non conſtaret, cùm ſexto eiuſdem operis libro, cap. 4. text. 37. palam doceat motum alterationis, & ipſum mobile diuiſionem eandem ſubire. Accedit quod ibidem pari modo negat motum localem continuum eſſe: hoc autem niſi intelligatur eo modo, quo diximus, non ſolùm eſt à veritate alienum, ſed repugnat etiam contrariæ partis auctoribus, qui licet alterationi continuitatem adimant; eam tamen lationi abſolutè attribuunt.

*Repugnantia aduerſariorũ.*

*Confutatio ex Gregorio*

Primum verò argumentum eorum, quibus oſtendi videbatur alterationem quoad intenſionem formæ non eſſe continuam, facilè diluetur ab eo, qui dixerit non in quolibet momento temporis, quo res alteratur, gigni aliquam partem qualitatis, etſi in quolibet poſt initium motus inſit iam ſubiecto (in facto eſſe, vt loquuntur) aliqua pars, quæ

in

in alio priori momento non dum erat. Verùm huiuſcemodi partes non conflant qualitatem infinitè intenſam, cùm non ſint infinitæ, æquales vni certæ, & inter ſe non communicantes. Ideò autem non in quolibet inſtanti, aut mutato eſſe alterationis gignitur aliqua pars qualitatis; quia nihil motu producitur, niſi cùm datur produci, & moueri; at hoc non datur in inſtanti vel mutato eſſe, vt neque motus. Sed quid dicendum de alteratione, etſi impropria, cuius forma poteſt momento gigni, quo modo ſe habet imago rei, quæ videtur? Quid inquam dicendum, cùm iſtiuſmodi imago continuè intenditur, accedente per continuam lationē oculo ad obiectum viſile; nonne in ſingulis momentis intēdetur, cùm in ſingulis ſit obiecto vicinior, & obiectū quo minùs diſtat, eo perfectiori modo imaginem exprimat in oculo, eamque magis intendat? Videlicet negandū, etiam in re propoſita intendi formam in inſtanti. Licet enim prima imaginis ab obiecto ad oculū traiectio momento perficiatur; tamen vltra illud inſtans, poſteaquam oculus moueri cœpit ad obiectū, in nullo inſtanti imago intenditur, quia in nullo fit magis propinqua obiecto, ſed in tempore, in quo dumtaxat mouetur. Quod dicimus de obiecto comparatione imaginis, aſſerendum quoque eſt de luminoſo, quod motu continuo accedit ad corpus, quod illuminat: nam poſt primū inſtās, quo appropinquare cæpit, in nullo inſtanti intendit in eo lucem, ſed ſolummodò in partibus ſucceſsiuis temporis, quo paulatim ad ipſum fertur, vt aduertit Gregorius in 2. ſentent. diſt. 17. quæſt. 4. art. 2. in quam ſententiam lege, ſi placet, quæ ſcripſimus lib. 3. Phyſic. cap. 8. q. 1. art. 5.

*Non cuilibet inſtāti reſpōdet aliqua pars termini per motum product.*

*De intenſione luminis per motum luminoſi.*

Ad Secundum neganda eſt conſecutio, & ad eius confirmationem reſpondendum, licet non detur calor ſub tam exigua intenſione, quin adhuc ſub minori ſuapte natura dari queat; non proinde tamen abiectionem qualitatis in infinitum abituram. Nec enim diminutio fit ſecundum partes proportionales, ſed æquales vni certæ, aut ſubinde maiores aucta progreſſu motus victoria agentis, vel nunc maiores, nunc minores, aut alia eiuſmodi varietate, prout agentis, & patientis conditio tulerit. Quo pacto neceſſe erit abſolui diminutionē qualitatis, cùm omne finitum detractione finiti, quæ tamen non fit per partes proportionales, tandem abſoluatur.

Obijciat aliquis, cùm lux diminuitur per receſſum vniformem corporis luminoſi, eam diminutionem fieri vniformiter, atque adeò per partes proportionales. Sed occurrendum talem diminutionem nequaquam per partes proportionales effici: vt enim ita fieret, oporteret auferri primò medietatem lucis, deinde medietatem illius medietatis, atq; ita in infinitum procedendo: at cùm lux prædicto modo diminuitur, nō ita res habet: quia immediatè poſt inſtās, in quo extrinſecè incipit receſſus corporis luminoſi, & lucis diminutio, nō aufertur medietas lucis, ſed pars incerta illius; quē admodū immediatè poſt nō ſequitur pars certa mot⁹, ſed incerta, & indeterminata. Itaq; negādū eſt ex eo quod diminutio alicui⁹ rei vniformiter progrediatur, cōtinuo ſequi effici illam per partes proportionales. Quod ex ijs, quæ

*Obiectio.*

*Dilutio.*

libro 4. Phyſicorum pertractata ſunt liquidò conſtat.

Ad vltimum erit fortaſſe qui reſpondeat in gradibus qualitatis dari eſſentialem ordinem, ita vt in productione cuiuslibet qualitatis intenſionem ſubeuntis detur gradus vnus, certus, ac determinatus, qui ſuapte natura priùs effici debeat, & à cuius effectione dependeat ſecundus; item ſecundum neceſſariò, ac per ſe ſupponi à tertio; atq; ita rem habere progrediendo vſque ad ſummum, & vltimum gradũ. Hæc tamen ſolutio, quæ alibi ex profeſſo confutanda erit, non placet; liberè enim, & abſque idoneo fundamento ponit ordinem illum eſſentialis dependentiæ inter gradus. Igitur pro germana huiuſce difficultatis ſolutione repetendum erit id, quod lib. 2. Phyſic. cap. 7. quæſt. 15. art. 2. ſtatuimus, nimirum cauſam naturalem ideò potiùs hunc ſingularem effectum, quàm illum producere, quia eius actio ex ordinaria lege, & præſcripto diuino determinatur per ſe à Deo ad hanc certam actionem, & ad hunc ſingularem effectum per eam edendum. Nam cùm cauſa naturalis ad id indifferens ſit, & hic ignis v. c. indiſcriminatim ſe habeat ad plures calefactiones, & plures calores eiuſdem ſpeciei producendos; ad auctorem naturæ pertinet hanc perplexitatem tollere, & efficacitate ſuæ potentiæ, ac voluntatis, ignem præfinire, & determinare ad ſingularitatem huiuſce actionis, & caloris. Quæ eſt opinio Gregorij Ariminenſis in 1. diſt. 17. quæſtio. 4. artic. 2. ad 7. & diſtinct. 36. quæſt. 1. Soncinatis 8. Metaphyſic. quæſtio. 22. & aliorum. Porrò autem ſicuti ea determinatio eſt ab auctore naturæ, ita & in productione qualitatis diuerſos gradus habentis, ratio cur hic gradus priùs quàm ille producatur, ſimiliterque in expulſione eiuſdem qualitatis, cur hic potiùs, quàm ille prius amittatur, ad eundem naturæ auctorem ſpectat præfinire, vt articulo citato diſertis verbis annotauit Gregorius. Quare ad argumentum negandum eſt antecedens, & ad eius probationem dicendum, & ſi ex parte cauſæ ſecundæ in ſe præciſè conſideratæ non ſit maior ratio, cur potiùs hic gradus, quàm ille priùs à ſubiecto expelli debeat; ſecus tamen rem habere ſi ſpectetur cauſa ſecunda, prout à Deo ſimul cum ipſa concurrente, determinatur.

Cur cauſa naturalis producat potiùs hunc effectũ ſingularem, quàm illum.

## QVÆSTIO III.

## QVEM DIGNITATIS locum alteratio inter cæteros motus vendicet.

### ARTICVLVS I.

RES-

# RESPONSIO AD Quæſtionem.

Onferenda à nobis hoc loco eſt alteratio cum reliquis motibus ſecundum eorum dignitatem: nam quod ad cætera attinet, nihil in eis, quod comparationem magnopere requirat, in præſenti diſcepatione occurrit. Sit primum pronunciatum. Alteratio nobilior eſt, quàm motus ad quantitatem. Probatur, nam præſtantia cuiuſque motus, ſimpliciter metienda eſt nobilitate termini, ad quem tendit: ſiquidem motus ab eodem ſpeciem ſortitur, & dignitatem; atqualitas, quæ eſt terminus ad quem alterationis, excellentioris naturæ eſt, quàm ſit quantitas. Quod hiſce argumentis conuincitur. Primùm; quia, vt lib. 1. Phyſic. cap. 4. quæſt. 1. art. 1. expoſuimus, quãtitas ſequitur materiam, qualitas formam; id autem, quod perfectiorẽ partem compoſiti ſequitur, maiorem obtinet perfectionem. Secundò, quia quantitas nullius eſt efficientiæ, qualitas verò deſeruit ſubſtantię vti principium actionum illius. Tertio, quia qualitas competit nobilioribus ſubſtantijs, videlicet Angelis; quantitas non niſi corporeis, & ad materiæ fæcem abiectis. Quartò, quia quò ſubſtãtiæ dignitate plus eminent, eò qualitatibus magis præſtant: at non ita res habet in quantitate, vt perſpicuum eſt; ſiquidem elementa quantitate, ac mole præſtant animantibus, & tamen minus nobilia ſunt. Poſtremò, quia qualitas comprehendit multa, quæ ſecundum idem nomen, eſto non ſecundum eandem rationem, Deo propriè, ac formaliter conueniunt, ſuntque perfectiones ſimpliciter, vt ſe habent intellectus, voluntas, ſapientia. Quod de quantitate minimè dici poteſt. Vnde S. Thomas de potentia quæſt. 9. art. 2. ait omnes ſpecies quantitatis ex ſua notione imperfectionem habere, non autem omnes ſpecies qualitatis. Quod tamen nequaquam ita eſt accipiendum, quaſi aliqua ſpecies qualitatis in ſe omni prorſus defectu careat, ſitque perfectio ſimpliciter; cũ omnes in categoria qualitatis ſub eodem genere, quod finitam habet naturam, contineantur; cùmque nihil finitum ſit modis omnibus abſolutum; ſiquidem omnis limitatio & circunſcriptio defectum notat. Sed nimirum ſic id interpretandum erit, vt dicamus aliquas ſpecies qualitatis, vt voluntatem, & ſapientiam ſecundum rationẽ analogam, Deo, & rebus creatis cõmunem, ab omni imperfectione, & defectu abſtractas, liberaſque eſſe. Quod tamen nulli quantitati conuenit. lege D. Anſelmum Monolog. 14. D. Thomam loco citato, Scotum in 1. diſt. 8. quæſt. 1. ad primum, Caietanum de ente & eſſentia cap. ſecundo comm. 2.

*Primũ prõnunt.* *Qualitas nobilior quantitate.* *D.Thom.*

Quod ad lationem attinet aduertendum poſſe illam ſpectari, vel ratione mobilis, vel ratione termini, in quẽ fertur: atque ex parte mobilis dupliciter, aut quoad ſubiecti dignitatem, aut prout ipſum latio minus, magisve immutat, quàm cæteri motus. Enim verò, vt ſentit

*Duplex cõparatio lationis.*

Ariſtoteles lib. 8. Phyſic. cap. 7. text. 59. motus, qui de ſtabilitate, & conſtantia rei minus detrahunt, minoris imperfectionis notam ſubiecto inurunt, atque ita perfectiores ſunt.

2. Pronunt.

Sit igitur ſecundum pronunciatum. Alteratio comparata cum latione ratione mobilis, ſecundum vtramlibet illarum duarum notionū, imperfectior eſt, quàm latio. Huiuſce pronunciati veritas inde ſuadetur, quia ſi mobilis dignitatem perpendamus, latio non ſolùm conuenit omnibus corporibus, quibus alteratio, tam viuentibus, quàm vitæ expertibus, ſed etiam alijs, in quibus alteratio propriè ſumpta nequaquam ineſt, nimirum cæleſtibus, quæ immortalia ſunt, atque adeò ſaltem hac conſideratione ſublunaribus antecellūt. Deinde quia ſi ſubiecti mutationem ſpectemus, minus illud immutat latio, minuſq; de ſtatu remouet, quàm alteratio teſte Ariſtotele loco cit. poſt Platonem in dialogo de Regno: quia terminus lationis, vt in 3. Phyſicæ auſculationis libro cap. 3. quæſt. 2. ſtatuimus, nihil eſt aliud, quàm quantitas rei motæ aliter, ac aliter ſe habēs quoad exiſtentiam in ordine ad ſpatium, atque adeò per lationem nulla noua realitas aduenit mobili, ſed modus quantitatis; at per alterationem acquiritur calor, frigus, aliæque huiuſmodi qualitates à quantitate, & ſubſtantia mobilis re ipſa diſtinctæ: proindeque multo minus immutat latio ſubiectum, quàm alteratio. Ac iuxta hanc duplicem notionem loquitur potiſſimùm Ariſtoteles de motu locali in 8. Phyſic. cap. 7. cùm illum cæteris motibus excellentiorem facit. Quod animaduertit, præter alios, D. Thomas eodem loco, & de malo quæſt. 16. art. 10. ad 1.

Vt latio minꝰ mutet ſubiectū in opinione exiſtimantiū eius terminū non eſſe niſi locū vide d.Th. 1. p. q. 110. a. 3. Capr. in 2. d. 14. q. 1. a. 3.

3. Pronunt.

Tertium pronuntiatum. Alteratio conſiderata ex parte termini, atque adeò ſimpliciter nobilior eſt, quàm latio. Hoc pronuntiatum eſt ex mente D. Thomæ loco proximè adducto, itemque Durandi in 2. diſt. 15. quæſt. 3. Ferrarienſis in commentarijs libri 2. contra gent. cap. 43. & lib. 3. cap. 82. atq; aliorum complurium; facileque ex eo oſtenditur, quia, vti ſupra dicebamus, terminus ad quem ſicuti ſpeciem, & diſtinctionem, ita nobilitatem motui abſolutè confert; ac tanto proportione quadam maiorem, quanto ipſe plus nobilitatis vendicat: conſtat autem qualitatem, quæ eſt terminus alterationis, nobiliorem ſortiri naturam, quam vbi, in quod latio tendit, cùm hoc nihil aliud ſit, quàm quantitas ſpectata ſecundum eum modum, quem ante expoſuimus. Quare minimè probanda eſt ſententia Capreoli in 2. diſt. 14. quæſt. 1. art. 3. & Soncinatis. 7. Metaphyſ. quæſt. 25. exiſtimantium licet terminus alterationis termino localis motus nobilior ſit, alterationem tamen motu locali imperfectiorem eſſe; quia cùm motus ſit priuatio termini ad quem, quanto terminus eſt præſtātior, tanto oportet motum deteriorem eſſe. Non eſt, inquam, probāda hæc ſententia; quia, vt rationes alias, quibus cōfutari poſſet, omittamus, motus ex doctrina Ariſtotelis libro 3. Phyſic. cap. 2. text. 15. non eſt priuatio, ſed poſitiuum quid, cùm ſit entelechia, ſiue actus, licet potentiæ admiſtus, vt in eodem capite definitur.

Improbatur ſententia Capreo. & Son.

Porrò aggeneratio, ideſt, continua tendentia ad partialem ſubſtantiam,

tiam, quæ tendentia ſemper comitatur motum ad quantitatem, licet inter motus non connumeretur, ſi motus nomen ſtrictè, magiſq; propriè ſumatur, vt lib. 5. Phyſicorum cap. 2. quæſt. 1. art. 3. explicatũ fuit; tamen ſi motus accipiatur pro tendentia ſucceſsiua, & continua ad quamlibet formam, ſolet quoque inter motus cenſeri. Si igitur cũ hac alterationem conferre libeat; ſit quartum pronunciatum. Alteratio inferioris dignitatis eſt, quàm aggeneratio. Patet, quia illa habet pro termino qualitatem, hæc verò ſubſtantiam; at ſubſtantia qualitatem nobilitate antecedit.

4. Pronunt.

## ARTICVLVS. II.

## ALIQVOT OBIECTORUM dilutio.

VErùm contra ſuperiora obijciat quis. Accidentia, quæ ad ſubſtantiam officio magis appropinquant, ea quoque dignitate ad eandem propius accedunt: ſed quantitas magis appropinquat officio ad ſubſtantiam, ergo & dignitate; proindeque motus ad quantitatem præſtantioris notæ eſt, quàm motus ad qualitatẽ. Probatur minor, quia munus ſubſtantiæ eſt ſuſtinere accidentia; at hoc etiam quantitas ſuo modo exhibet, cùm illius interuentu accidentia materialia fulciantur à ſuppoſito.

Prima obiectio.

Secundò, Etiam quantitas ſequitur formam, ſuamque habet efficientiam. Igitur ad aſtruendam maiorem dignitatem alterationis non rectè aſſeruimus qualitatem eſſe nobiliorem quantitate, quod illa ſequatur formam, hæc materiam; Illa ſit principium agendi, hæc omnis actiuitatis expers ſit. Antecedens quoad priorem partem ſuadetur, quia dimenſiones habent à forma terminum, definitamque menſuram; cùm formæ merito non ſolùm vaga, & inconſtans materiæ potentia ad certum actum ſubſtantialem, ſed etiam ad certam quantitatem determinetur. Anima enim rationalis v. g. cauſa eſt, cur homo tantam molẽ obtineat, nec in quantùlibet exigua magna uè quãtitate aut gigni, aut conſeruari poſsit, vt probè annotauit Simplicius lib. 1. Phyſic. text. 59. Deinde probatur idem antecedens quoad poſteriorem partem, quia numerus eſt vna è quantitatibus, & tamen hunc miram habere in agendo vim ſatis confirmant Hippocratis, & aliorum medicorum placita, qui rationem dierum criticorum, ideſt, quibus decernitur quid de morbo futurum ſit, ob inſignem mutationem, quæ tunc frequenter accidit, ad numeros referunt; aiuntque ob maiorem imparis numeri perfectionem, & minorem paris, euenire quod criſes imparibus diebus magna ex parte contingant; quod febris, quæ diebus paribus reliquerit, redire ſoleat, quæ verò imparibus certiorem valetudinem reddat; quod morbi, qui repetunt per pares, ſint lõgiores; qui per impares, breuiores. Vnde etiam eſt, quod annus ſexageſimus tertius, quia nume-

2. Obiectio.

Dies critici.

Numeratur etiã inter climactericos octogeſimus primus vt maximè formidabilis. Lege Cæl. lib. 22. c. 12. & lib. 25 c. 2. Gellium lib. 15. c. 7.

Annus climactericus. numeri ſeptimi, & noni multiplicatam, atque inuicem ſibi connexam ſummam continet, climactericus, ideſt, gradarius appellatur, quod à ſeptimo orſus, vitam hominis veluti per gradus quoſdam peragit, atq; hominibus ſolet eſſe formidabilis, quod in eo, vt longa experientia comprobauit, multi diem obeant. Accedit quoque ad numerorum vim, & efficientiam probandam auctoritas ſacrorum interpretum, qui in multis ſacræ paginæ locis exponendis, numerorum myſteria accuratè, diligenterque obſeruare ſolent; quod vtique non facerent, niſi in eis aliquam effectricem vim agnoſcerent.

3. Obiectio. Tertiò, nihil obtinet rationem menſuræ in aliquo genere, niſi id, quod in eo genere primum nobiliſsimumque eſt, vt tradit Ariſtoteles lib. 8. Phyſic. cap. 9. text. 76. ſed motus circularis docente etiam Ariſtotele, eodem loco, & lib. 10. Metaphyſi. cap. 2. text. 4. habet rationem menſuræ in genere motuum; eſt ergo inter omnes primus, ac nobiliſsimus. Quare non debuit alteratio omnibus lationibus quoad eſſentiæ nobilitatem abſolutè præferri.

Dilut. 1. obiect. Ad primum horum dicendum cum Scoto in 4. diſt. 12. quæſt. 2. quantitatem quoad ſuſtentandi officium propinquiorem eſſe ſubſtātiæ, quàm qualitatē: ſed aliud eſſe munus, cuius merito qualitas ſubſtantiæ vicinior euadit, nimirum operationes exequi; ſiquidem qualitas eſt principium immediatum operandi, quantitas verò, vt dictum eſt, nullam agendi vim obtinet; conſtat autem præſtantius quid eſſe operari, quàm ſuſtentare more ſubiecti; illud enim actum, hoc potētiam ſonat, hoc ad cauſalitatem materialis cauſæ reducitur, illud ad efficientem cauſam pertinet.

Dilut. 2 obiect. Ad Secundum negandum eſt antecedens, & ad rationem, qua prior eius pars confirmabatur, reſpondendum licet quantitas poſsit dici ſequi formam quoad modum, ſeu præſcriptionem menſuræ: tamen, ſi abſolutè ſpectetur, dici ſequi materiam ob eas cauſas, quas alibi retulimus. (Lib. 1. Phyſi. c. 4 q. 1. 2. 6.) Id verò, quod afferebatur ad probandam poſteriorem partē eiuſdem antecedentis, refellendum eſt negando numerum vllam exſe agendi vim, aut facultatem habere. Nam quæ in morbis, & hominum ætate, alijsque id genus ſecundum diuerſos numeros accidunt, ea non ad ipſorum numerorum efficacitatem, quæ nulla eſt, referri debent, ſed partim ad cæleſtium corporum influxum humores cientem, temperamentumque variè immutantem, partim ad ipſam humorum vim, & abditiorem ſympathiam, atque alias cauſas nobis ignotas, quæ numeris quibusdam lege quadam, inſtitutoque naturæ coniunctæ ſunt. Et ad hunc ſenſum interpretandi erunt Hippocrates, alijque optimæ notæ auctores, cùm numeris occultam vim aſcribere videntur, videlicet numerorum nuncupatione ſignificaſſe naturales cauſas, quæ, quia in receſſu naturæ latent, per ipſarum comites numeros appoſitè indicantur. In quam ſententiam lege quæ ſcripſit Galenus lib. 3. de dieb⁹ decret. cap. 1. Celſus lib. 3. cap. 4. Valleriola lib. 3. locorū cōmu. cap. 7. Leuinus lib. 2. de occultis naturæ miraculis cap. 32. Lalamantius in Galenū loco citato, Peramatus in lib. de hominis procreatione cap. 11. Fra-

Numeri nullā ex ſe vim agendi obtinent.

De eadem re Fernelius lib. 4. Pathologiæ. c. 11. Medina lib. 2 Suæ patæn. Mirandula, lib. 3. contra Aſtrolo. c. 1b.

Fracaſtorius in libello de cauſis criticorum dierum. & in libro de ſympathia, vbi etiam oſtendit numeros, qua numeri ſunt, nihil per ſe facere ad ſuauitatem, vel moleſtiam in ſonis, & muſica. Quod verò ſacri diuinarum literarum interpretes de numeris multa acutè diſputant, non eò faciunt, quod aliquam in ijs agendi facultatem agnoſcant; ſed quia numeri pro varia ipſorũ compoſitione, & acceſſu, vel receſſu ab vnitate, alijsuè huiuſmodi affectionibus, diuerſa myſteria congruenter deſignant, vt Clitouæus in libro, quem de myſtica numerorum interpretatione compoſuit, latè oſtendit.

Ad tertium reſpondemus id, quod ſimpliciter eſt menſura dignitatis in aliquo genere, eſſe in eodem genere præſtantiſsimum; ſed in genere phyſicarum mutationum in commune, dignitatis menſuram ſimpliciter haberi, non motum localem; ſed generationem, cuius terminꝰ eſt ſubſtantia; in genere autem motuũ (latè ſumpto motus nomine) aggenerationem, quæ partialis quædam generatio eſt: dici tamen ab Ariſtotele circularẽ lationem menſuram aliorum motuum, non abſolutè, ſed quoad velocitatem, durationem, & æquabilitatem; quatenus omnes velocitate ſuperat, & ea duntaxat ab æternitate eſſe potuit; eaq; præ cæteris motibus regulã, & vniformitatẽ ſeruat. Lege Ferrarienſem ad caput. 82. lib. 3. contra gent. Iauellum lib. 10. Metaphy. quæſt. 2.

Dilut. 3. obiectio.

Qui motus ſit menſura dignitatis aliorum.

## QVÆSTIO. IIII.

## QVODNAM SIT SVBIECTVM alterationis, aliorumq́ue materialium accidentium.

### ARTICVLVS. I.

### EXPLANATIO CONTROVERSIÆ.

PRænotandum hoc loco eſt ſubiecti nomen dupliciter ſumi, nimirum vel pro eo, quod dicitur accidẽtia ſuſtinere vt quod, ſiue vt ſubiectum principale, quod vocari ſolet ſubiectum denominationis: vel pro ſubiecto inhæſionis, ideſt, cui accidentia proximè inhærẽt. Hoc poſito ſit prima concluſio. Subiectũ ſuſtinens, vt quod, materialia accidentia (quo nomine clarum eſt comprehendi etiam phyſicam alterationem) eſt compoſitum phyſicum ſingulare. Hæc concluſio eſt auctorũ omnium cõmunis, eſtque conſentanea non ſolum ijs, quæ tradunt philoſophi primo lib, Metaph. cùm diſputant num actiones

Prima cõcl.

ſint

Actiones ſūt ſuppoſitorū.

ſint ſuppoſitorum, ſed etiam Theologorum doctrinæ in materia incarnationis, cùm agunt de cõmunicatione idiomatum, hoc eſt, de mutua prædicatione diuinorum, humanorumq; attributorum inter hominẽ & Verbum diuinum incarnatum. Probatur autem illius veritas ex eo, quia eiuſdem eſt ſuſtinere, vt quod, cuius eſt per ſe & in actu perfecto ſubſiſtere, aliorumque dependentiam vltimò terminare; hoc autem ſuppoſito duntaxat conuenit, quod in rebus naturalibus eſt ſolũ cõpoſitũ phyſicũ; quãdoquidẽ in ijs id tantũmodò eo pacto per ſe cohæret. Atq; hinc eſt quod Ariſtoteles in categorijs capite de ſubſtantia docuit, non materiam, non formam, non cõmunem aliquam naturam; ſed primam ſubſtantiam v. g. Socratem, maximè ſubſtare. Videlicet, quia omnia eiuſdem ſeriei prædicata, omniaque accidentia per ſe fulcit, ac ſuſtentat; nec eorum dependentiam ad aliud vlteriùs refert, ſed in ſe claudit, ac finit, quod tamen neque materiæ, neque formæ conceſſum eſt; ſiquidem illa ab hac; hæc, ſi materialis ſit, ab illa; vtraq; à ſuppoſito pendet.

Ariſtot.

Hic aduerte licet ſubiectum materialium accidentiũ re ipſa ſit ſuppoſitum phyſicum, hoc eſt, ſingulare per ſe exiſtens, completum, & incõmunicabile: non tamen in vniuerſum vt aliquid quorumlibet aliorum accidentium ſubiectum dicatur, haſce omnes conditiones requiri: ſat enim eſt ſi ſit ſingulare per ſe ſubſiſtens, hoc eſt, ita ſe habens, vt exiſtat ſine adminiculo alterius, cui innitatur, & à quo ita ſuſtẽtetur, pendeatque in ſuo eſſe, cuiuſmodi ſubſiſtentiam vendicat animus rationalis, qui tametſi, dum eſt in corpore, in eo & in toto compoſito exiſtat, ab eis minimè pendet in ſuo eſſe, cùm ab eiſdem ſeparatus per ſe cohærere valeat. Non ita verò exiſtunt cæteræ formæ, neque materia, vt diximus, neque etiam humanitas Chriſti; quandoquidem pẽdet in ſuo eſſe à Verbo diuino, à quo ſuſtentatur. Ita fit vt animus rationis particeps, etiam dum eſt corpori vnitus, ſuſtineat accidentia ſibi propria, vt actus volendi, & intelligẽdi tanquam ſubiectũ quod, minus tamen principale, quàm totum compoſitum; quemadmodum & eius ſubſiſtentia eſt partialis, compoſiti autem totalis, quod hoc loco obiter, & ſtrictim diximus, alibi ex inſtituto, & vberiùs dicturi.

Animus rationalis, etiã dum eſt corpori vnitus, eſt per ſe ſubſiſtens.

De hac re Caiet. 1. p. q. 76. a. 1. & 3. p. q. 6. ar. 3. Ferr. lib. 2. cont. gent. c. 68. Soarij 3 p. diſp. 17 ſect. 1.

2. Concl.

Secunda concluſio. Neque materia prima per ſe abſque beneficio formæ eſt ſubiectum inhæſionis materialium accidentium, nec ſola forma, nec materia & forma ſimul, quaſi vnumquodque accidens vtrique ſimul inhæreat. Prior pars huiuſce concluſionis aſſeritur à D. Thoma 1. p. quæſt. 77. art. 6. Capreolo in 2. diſt. 13. quæſt. 2. art. 1. Ochamo quodlibeto 2. quæſt. 11. Caietano ad caput. 7. libri de ente, & eſſentia quæſt. 16. ac cæteris penè auctoribus cõmuni aſſenſu; probaturque ex eo, quia omnis actus ſecundus ſupponit actum primum. Quare cùm accidentia ſint actus ſecundi, & forma ſubſtantialis actus primus, neceſſe erit accidentia ſupponere formam ſubſtantialem, & ex conſequenti nullum accidens ineſſe materiæ per ſe, ac ſeorſim ſpectatæ. Item quia ex vnione materiæ cum forma ſubſtantiali fit vnũ per ſe; ex vnione eiuſdem cum accidentibus fit vnum per accidens;

Omnis actus ſecũdus ſupponit actum primum.

ens autem per ſe eſt prius ente per accidens, quemadmodum & vnitas multitudine.

Secunda pars ita oſtenditur. Idem eſt ſubiectū inhæſionis materialium accidentium in homine, & in cęteris compoſitis phyſicis; ſed in homine anima non recipit accidentia materialia: ergo neq; aliæ formæ in ſuis compoſitis. Probatur minor, quia vt dicitur in libro de cauſis, omne id, quod in aliquo per inhęſionē recipitur, neceſſariò ſe ſe ad naturam recipientis accōmodat, proindeque ſi ſubiectū materiæ, & diuiſionis expers ſit, ſenſumque effugiat; etiā accidens, quod ei inhæret, earundem conditionum particeps erit. Cùm igitur conſtet prædicta hominis accidentia non ita ſe habere: ſiquidem re vera materialia ſunt, atque extenſa, & ſub ſenſus cadunt; planum relinquitur animam humanā nullo pacto eſſe ſubiectum materialium accidentium; atq; adeò nec cæteras formas: quicquid in contrariā partē ſcripſerit Durandus in 1. diſt. 8. q. 4. ſecunda p. diſt. Neque huiuſce rationis vim eleuat, quòd eadem humana anima recipitur in materia extenſa, & tamen non ſe ſe ad illius extēſionē effingit: ſed immaterialis atq; inſectilis manet. Non enim quidquid in materia recipitur, legem illam ſubit; ſed quidquid in ea recipitur per inhæſionē, quo pacto ſe habētomnes formæ accidentiæ: quāquam ex ſubſtātialibus etiam nonnullæ extenſionē materię ſequātur, videlicet quia deterioris notæ ſunt magiſque in materiā demerſæ, vt imperfectorū animātiū, & rerum nō viuentium formæ.

Subiectum accidentium materialium non poteſt eſſe ſola forma.

Refellitur opinio Durandi.

Tertia pars eiuſdem concluſionis hunc in modū ſuadetur; idem accidens ſingulare per ſe vnum nequit in duobus ſubiectis, etiam partialibus, ſimul ineſſe: igitur accidentia materialia non recipiuntur ſimul in forma, & materia. Antecedens oſtenditur, nam id vno è duobus modis accideret; vel ita, vt vna pars accidentis inhæreret in forma, altera in materia, vel ita, vt totum accidens in materia, & totum in forma pariter exciperetur, quorum neutrum eſſe poteſt. Non primum, tum quia iam illa pars, quæ eſſet in materia, non penderet à forma, nec quæ eſſet in forma, penderet à materia, vt à propriæ inhæſionis ſubiecto, quod aduerſariorum ſententiæ repugnat: tum quia nulla ratio eſt, cur potiùs hæc, quàm illa pars à ſola forma, vel à ſola materia dependeat. Non ſecundum, quia ſi accidens materiale totū ſimul eſſet in materia, & totum in forma, ſequeretur quodlibet tale accidens vendicare ſibi duplicem inhæſionem partialem, vnam reſpectu formæ, alteram reſpectu materiæ: quod à veritate aberrare ex eo conſtat; quia in homine accidentia materialia nec ex toto, nec ex parte poſſunt in eius forma, quæ ſpiritalis eſt, inhærere, vt paulò ante oſtenſum fuit: quare nec in alijs ſubiectis inhærebunt in forma: alioqui maiorem dependentiam haberet calor aquæ v. g. ab eius forma, quam potentia ridendi á forma Socratis, ſiquidem potentiæ ridendi eſſet pro ſubiecto ſola materia; calori autem tam materia, quàm forma.

Subiectum accidentium materialium nō poteſt eſſe forma, & materia.

Tertia Concluſio. Subiectum, cui immediatè inhærent materialia accidentia, non eſt totum compoſitum. Veritas huius concluſio-

3. Concluſ.

nis, quæ intelligenda eſt cũ ea moderatione, quam adhibemus in ſolutione argumentorũ, apud eos, qui totum à partibus ſimul ſumptis non diſtinguũt, conſpicua iam eſt ex dictis, cùm probatũ fuerit non poſſe idẽ accidens in materia, & forma pariter inſidere. Sed eadẽ abſolute cõſtabit ijs argumẽtis, quibus mox quartam concluſionẽ ſuadebimus.

4. Concluſ. Quarta concluſio. Subiectum inhæſionis materialium accidentium eſt materia prima, ſuppoſito tamen actu formæ ſubſtantialis. Hæc concluſio eſt Alenſis 4. par. quæſt. 4. mẽb. 2. art. 4. Gregorij Ariminenſis in 2. diſtinct. 11. quæſt. 2. artic. 2. Heruæi quodl. 2. quæſtione 10. Iauelli 8. Metaphyſi. quæſtione 2. Marſilij hoc in lib. quæſtione 7. Saxoniæ quæſt. 6. & aliorum complurium; eandemq; putant nonnulli fuiſſe de mente Diui Thomæ quæſtione 25. de Verit. artic. 6. licet poſtea in 1. par. quæſtione 77. artic. 6. oppoſitum docuerit, ſtatuẽs ſubiectũ inhæſionis accidẽtiũ eſſe totũ compoſitum; quod plerique eius ſectatores defendunt, vt Caietanus ad caput ſeptimum libri de ente & eſſentia, Capreolus in 2. diſtinct. 13. quæſtione 1. artic. 3. quibus accedit Durandus in primo diſtinct. 8. in 2. parte diſtinct. quæſtione 4. num. 15. Probatur autem noſtra Concluſio hiſce argumentis. Accidentia in eo hærent, de cuius poteſtate excitantur, & quod diſponunt: atqui non excitantur de poteſtate formæ, aut compoſiti; ſed materiæ, è cuius gremio in actum prodeunt, vt in primo Phyſicæ Auſcultationis libro explicatum fuit: nec item diſponunt formam, aut compoſitum (nec enim præparant niſi id, in quod forma introducitur) ergo accidentia materialia in ſola materia inhærent.

De opinione d. Thomæ diſſẽſio.

q. 12. art. 4. cap. 9.

Verùm quoniam hæc ratio tantùm colligit inſtitutum in accidentibus, quæ educuntur de materiæ poteſtate, quæque illam diſponunt ad ſubſtantiales formas recipiendas; cùm tamen non omnia accidentia materialia iſtiuſmodi ſint; quandoquidem nonnullæ corporeæ qualitates, quæ naturæ vim excedunt, qualis erit ſubtilitatis dos, quam Diuus Thomas, alijque permulti inter qualitates recenſent, non exeunt è potentia materiæ, vt liquet ex ijs, quæ in Phyſicis loco citato docuimus. Præterea multa ſunt accidentia materialia, ordinis naturalis, quæ ad formãm excipiendam non præparant, vt lux, vt potentiæ organicæ, vt ſpecies, quibus ſenſus ad functiones ſuas vtuntur: ideò adducendæ à nobis erũt aliæ rationes omnia materialiũ accidentium genera cõplectẽtes, nimirũ hæ. Quodlibet compoſitum naturale conſtat ex forma tanquam actu, & ex materia tanquã potentia. Igitur cùm forma data ſit ad operãdum, & eliciendas actiones, materia data erit ad patiendum, & actiones, ſi tamen materiales ſint, recipiendas. Quod ex eo etiam confirmatur, quia cũ quantitas, quæ eſt fundamentum omnium materialium accidentium, ſequatur materiam, vt alibi oſtendimus, conſequens eſt vt materia ſit prima radix recipiendi accidentia materialia, & vt ipſa primò, atque immediatè recipiat. Præterea materiæ ſub actu formæ nihil deeſt quominus poſſit, ac debeat recipere accidentia materialia; igitur

Quædã qualitates corporales non educũtur è poteſtate materiæ.

D. Bon. in 4. d. 49. 2. p. d. a. 2. q. 1. Rich ibidẽ a. 4. q. 2. Palud. d. 44. q. 3. Cap. a. 1. Hiſp. ibidem, Ferr. 4. cont. gent. c. 86.

Formæ, & materiæ diuerſa munia.

Quantitas ſequitur materiam.

Lib. 1. Phyſ. c. 4. q. 1. a. 1. cũ D. Th. & Scot. poſt Platonem.

tur ipſa erit ſubiectum inhæſionis talium accidentium. Conſecutio liquet, fruſtra enim quæretur aliud ſubiectum, ſi materia ita ſumpta ſat eſt. Antecedens oſtenditur, quia materia prima eſt iam tũc ſubſiſtens, ac ſuopte ingenio potentia receptiua, & eſt ens in actu per formam ſubſtantialem: hoc autem ſufficit ad præſtãdum recipiendi officium. Ac ſanè quidem ſi materia nuda ſubſtantialem formam recipere valet; immeritò ei ornatæ iam, & inſtructæ actu ſubſtantialis formæ denegabitur facultas ad recipienda accidentia. Cur autem materia vt hoc munere defungi poſsit, iſtius modi actum ſubſtantialis formæ præexigat, ex probatione primæ partis ſecundæ concluſionis manifeſtum eſt, & ijs, quæ mox dicemus, planius fiet.

Quæri ſolet num materia vt recipiat accidentia, requirat formam tanquam cauſam, rationemvè recipiendi, vt quidam volunt; an vt cõditionem, ſine qua non reciperet, vt alij arbitrantur. Reſpondemus quemadmodum materia, vt exiſtat, eget forma tanquam ratione ipſã ſubſtantialiter perficiente, & vt cauſa formali non interna, ſeu componente; ſed externa exiſtentiæ ipſius, hoc eſt, vt materia ipſa exiſtat: (quandoquidem exiſtentia materiæ eſt imperfecta, & quaſi inchoata, egetque actu formæ, quo perficiatur, vt in rerum natura ſit) ita vt recipiat accidẽtia indigere forma, vti cauſa ipſam cõplente, & ab inertia, ac potentialitate euocante ad id munus obeundum; quatenus exequi id non poteſt niſi exiſtat ſub actu perfecto, & exiſtere ſic nequit abſq; ea formæ cauſalitate, & beneficio. Verum quia ad ipſam accidentiũ receptionem non ita concurrit forma, quaſi accidentia, vel ex toto, vel partiatim recipiat, vt ſuperiùs concluſum à nobis fuit; ideò verè, & appoſitè eos loqui opinamur, qui aiunt materiam ad recipienda accidentia non exigere formam, vt concauſã receptionis paſsiuæ in eodemmet cauſæ genere; ſed exigere illam vt cauſam formalem, qua cõpletè fiat habilis ad id officium præſtandum. Quæ dependentia, vt liquet, maior, præſtantiorque habetur, quàm ea, quæ eſt à conditione, ſiue qua non. Num forma requiratur vt conditio ad recipiẽda accidentia.

## ARTICVLVS. II.

## MATERIALIA ACCIDENTIA interuentu quantitatis in materiam recipi.

Porrò non eſt hoc loco abſque examinatione prætereundũ num materialia accidentia proximè, an interuentu quantitatis inhæreant materiæ. Ochamus tractatu de Euchariſtia cap. 28. & in 4. quæſt. 7. & quodlibet 4. quæſt. 39. Maior diſt. 12. quæſt. 2. Marſilius Negatiuæ partis aſſertores.

ſilius quæſt. 9. art. 2. Aliacenſis quæſt. 5. Maior diſt. 12. quæſt. 2. Gabriel lect. 4. in Can. Aureolus apud Capreolum in 2. diſt. 18. quęſt. vnica. art. 2. ad negatiuam partem deflexere, aientes accidentia non inhærere quantitati, ſed immediatè recipi in ſubſtantiam. Pro qua opinione hæc ſunt argumenta. Ex doctrina Ariſtotelis 4. Metaphyſi. cap. 4. text. 4. accidens non accidit accidenti, & vt tradit Boetius in lib. 3. de Trin. cap. 3. forma ſimplex non poteſt ſubijci; videlicet quia ſubijci pertinet ad rationem materiæ: atqui accidens accideret accidēti, & forma ſimplex ſubijceretur, ſi quantitas eſſet alicuius accidentis ſubiectum. Nullum ergo accidens in quantitate, vt in ſubiecto recipitur. Secundò, quemadmodum ſubſtantiæ conuenit per ſe eſſe, & ſubſtare; ita accidenti inhærere: ergo ſicuti repugnat ſubſtātiæ inhærere; ita accidenti per ſe eſſe, vel ſubſtare, aut aliud accidens recipere. Tertio, nihil, quod ab alio dependet, terminat dependentiam eiuſdem rationis; ſed omne accidens dependet à ſubiecto: ergo nullum ſubiecti dependentiam terminat, aut ſubiecti vice fungitur.

Capr. in 1. d. 42. q. 1. in ſolut. arg. Ferr. ad c. 65. lib. 4. cōtra gēt. Baſſolius in 4. d. 12. q. 1. art 3.

Eorum 1. argum.

2.

3.

Aſſertio partis affirm.

Aſſerendum tamen quod maior, meliorque pars philoſophorum tuetur, videlicet accidentia materialia recipi, & inhærere primò quātitati, deinde eius interuentu materiæ. Id affirmat D. Tho. 3. p. q. 77. art. 2. & 4. contra gētes cap. 65. Henricus quodlibeto 8. quæſt. 15. Aegidius in theorematis à propoſitione 36. Capreolus in 2. diſt. 18. quæſt. vnica. Gregorius diſt. 12. quæſt. 2. Heruæus quæſt. vnica. Paludanus quæſt. 3. D. Bonauentura art. 1. quæſt. 3 Durādus quęſt. 1. Richardus in 4. d. 12. q. 2. circa 1. pr. Alexander 4. p. quæſt. 40. memb. 1. & 2. Albertus in 4. diſt. 12. ar. 6. & alij. Probatur autē hæc aſſertio. Nam cùm materiam quantitas ſequatur, nec vllam habeat agendi vim, vt alibi docuimus; conſentaneum videtur, vt à natura contributa ſit materiæ tanquā adiutrix intermediumuè ad recipienda accidētia. Secūdò, quia accidētia corporalia ſunt extenſa, vt ſenſu patet; vel ergo extenſione ſibi propria, vel ſolius quantitatis. Non ſibi propria, alioqui multæ extenſiones eſſent in eodem ſitu, nempe extenſio quantitatis, & aliorū accidentium; ex quo ſequeretur non repugnare duo corpora ſimul eſſe: igitur extenſione ſolius quantitatis; quia nimirum accidentia in ea inſunt, ad eiuſque dimenſionē peraccidens diffunduntur. Tertiò, Accedit Theologicum argumentum. Namque in diuinā Euchariſtia, cùm accidentia panis eundem retineāt ſitum, quem antea, & ſequantur quantitatem, quòcunque illa mouetur; haud dubiè manent inter ſe vnita, & colligata, ratione alicuius ſubiecti; non alterius, quam quantitatis (ſiquidem materia, & forma panis deſierunt eſſe) igitur inſident quantitati, cui ante conſecrationē inhærebant; niſi quod ea quantitas, quæ priùs fuerat ſubiectum quo; nunc diuinitus extra materiam ſeruata fit ſubiectum quod, vt in progreſſu fuſiùs explicabitur. Prætereà, niſi quantitas ſacramētalis eſſet ſubiectum aliorum accidentium, nullum eorum ab ijs ſpeciebus poſſet naturaliter expelli, vel denuò acquiri: hoc autē experiētiæ repugnat, cùm ſenſu pateat ſpecies refrigerari, & incaleſcere, alijſque id genus alte-

Prima ratio.

Lib. 2. Phyſi. c. 7 q. 14. a. 2.

2.

3.

Accidētia in diuina Euchariſtia.

alterationibus immutari: ergo & cæt. Probatur maior, quia illa expulſio eſt ab aliquo ſubiecto, & illa acquiſitio, cùm ſit actio poſitiua, ſimiliter in ſubiecto aliquo recipitur, & de alicuius ſubiecti poteſtate educitur; at hoc ſubiectum, niſi ſit quantitas, nullum omnino erit. Nec ſatisfaciet qui dixerit poſſe hæc omnia diuina virtute præſtari abſque ſubiecti adminiculo: non enim, etiam in re tam ineffabili, miracula citra neceſsitatem, aut idoneam rationem multiplicanda ſũt, vt communis theologorum doctrina admonet. Fatendum eſt igitur accidentia inhærere materiæ interiectu quantitatis; non tamen vltimo, cùm per quantitatem inſint materiæ, per hanc verò ſuſtententur à ſuppoſito, vt diximus. Vnde cùm ſupra aſſeruimus accidentia immediatè recipi, & inhærere in materia, non omnem prorſus mediationem excluſimus, ſed mediationem dumtaxat ſubſtantialem; quia videlicet materia prima, nulla alia ſubſtantia interpoſita, recipit accidentia.

Confutatio reſpõſionis.

Lege apud Scot. in 4. d. 12. q. 2 longiorem interpretationé.

Dilutio argumẽtorũ pro parte negatiua.

Contrariæ verò partis argumenta nullam habent difficultatem. Ad primum eorum dic Ariſtotelem eo loco tantùm velle vnum accidẽs non poſſe alteri accidere tanquam ſuſtinenti per ſe more ſubſtantiæ; Boetium verò loqui de forma ſimplicisſima, quæ eſt Deus, cui repugnat vlli accidenti ſubeſſe, tum ob alias rationes, tum quia ſubijci accidentibus importat modum quendam materiæ, & potentialitatis, qui in diuinam naturam cadere non poteſt: cadit tamen non ſolùm in ipſam materiam, & compoſita; ſed etiam in quantitatem, quæ, prout recipit, quaſi rationem materiæ induit, vt & reliqua ſubiecta. Ad ſecundum reſpondendum eſt quemadmodum conuenit ſubſtantiæ per ſe eſſe, & ſubſtare; ita & accidenti ſuopte ingenio inhærere ſubiecto; atque ita vt ſubſtantiæ repugnat inhærere; ſic accidenti eſſe per ſe, ideſt, non vendicare talem naturam, vt à ſubiecto per ſe pendeat, eiq; inhærere poſsit. Similiter dicendum repugnare quantitati ſubſtare alijs accidentibus vi ſua, vt ſubiectum quod: id enim ſuppoſiti propriũ eſt: nihil tamen obeſſe, quominus eis ſubijciatur vt quo, ſiue vti medium recipiendi, cùm eo pacto ſic recipiat, vt tamen inhæreat. Ad tertium, id, quod ab alio dependet, non terminare vltimò alterius dependentiam eiuſdem rationis, atque ita quantitatem non vltimò terminare dependentiam accidentium, quæ in eo recipiuntur; id enim, vti diximus, ſuppoſito peculiare eſt.

1.

2.

Quantitas quo pacto nõ poſsit vi ſuá accidentibus ſubſtare.

D. Tho. 3 p. q. 77. art. 2. ad. 1.

3.

## ARTICVLVS. III.

# OBIECTA ADVERSVS ea, quæ primo articulo concluſa ſunt, eorumque refutatio.

Obiect. contra 1. cõcluſ. primi art.

CONtra ſingulas primi articuli concluſiones offerunt ſe ſe argumenta, quæ explicanda à nobis hoc loco ſunt. Aduerſus primam hoc. Si ſuppoſitum phyſicum ſuſtentaret accidentia, etiã Verbum Diuinum in myſterio Incarnationis diceretur ſuſtentare accidentia humanitatis aſſumptæ: nam quoad ſuppoſita denominanda, eadem vtrobique ratio eſſe videtur: atqui hoc aſſerendum nõ eſt; ergo neque illud. Probatur minor, quia vt ſubijci, ita & ſuſtentare, ad materialem cauſam pertinet, qui modus cauſandi, cùm imperfectionem contineat, in Verbum Diuinum cadere non poteſt.

Secundò, Actio, qua Deus tribuit eſſe materiæ primæ huius lapidis, non hunc lapidem denominat, ſed ipſam materiam dumtaxat; igitur non omnes actiones materiales habent pro ſubiecto denominationis ſuppoſitum phyſicum. Antecedens probatur. Nam actio illa reipſa eſt creatio, cùm etiam nunc conferat materiæ primæ eſſe ex nihilo: vnde & Deus, vt alibi ex D. Auguſtino retulimus, adhuc creare cœlos dicitur; quia idem eſſe, quod eis à prima origine ex nihilo impertijt, nunc quoque ſine intermiſsione eodem pacto confert; etſi non iam cum nouitate aſſendi. Quare verè dicenda eſt nunc materia creari, quæ tamen appellatio in ſuppoſitum ipſum non conuenit.

D. Auguſt. — D. Thomas de poté. q. 3. a. 2. ad 8.

Anima Chriſti ſubſiſtit p ſubſiſtentiã Verbi diuini.

Tertiò, Anima Chriſti non ſubſiſtit per ſe, ideſt, per ſubſiſtentiam propriam; ſed per ſubſiſtentiam Verbi Diuini; & tamen denominatur ab actionibus ſibi proprijs, vt ab actu intelligendi, & volendi, tanquã ſubiectum quod: ergo vt aliquid ſic denominetur non oportet, vt ſubſiſtat per ſe, & ſine adminiculo alterius, à quo pendeat in ſuo eſſe: Cuius oppoſitum circa eandem concluſionem aſſeruimus. Maior probatur, quia Verbum Diuinum, vt fides docet, deſcendit ad inferos: at non niſi ratione animæ ſubſiſtentis per ipſum. Minor propoſitio oſtenditur, quia anima rationis particeps in quolibet alio homine dicitur ſuſtentare vt quod ſua accidentia, vti ſupra monuimus; quod non eſt denegandum animæ Chriſti, cùm nihil de eius dignitate & excellẽtia propter hypoſtaticam vnionem detractum fuerit.

Obiect. contra 2. concluſ.

Deinde aduerſus ſecundam concluſionem. Quantitas inhæret materiæ ante omnem formæ cauſalitatem; igitur accidentia recipiuntur in materiam per ſe ſumptam. Antecedens probatur, primum quia forma ignis. v. c. cùm extendatur extenſione materiæ non niſi materiam iam extenſam, atque adeò affectã quantitate ſubire poteſt. Quare priùs quam forma in materiam recipiatur, proindeque antequam materia ſub actu formæ ſit, oportet quantitatem inhærere materiæ. Secundò confirmatur idem antecedens, quia vt ſe habent accidentia ſpiritalia ad formam humanam; ita materialia ad materiam: ſed illa inhærent in forma ſine dependentia à materia: ergo hæc inhærebunt in materia abſque dependentia à forma.

Aduerſus tertiam. Id conſtitui debet ſubiectum accidentium, per quod accidentia definiri ſolent, id verò eſt compoſitum phyſicum comparatione materialium accidentium, vt ex definitionibus, quas Ariſtoteles, alijque philoſophi tradiderunt, planum eſt; igitur ſubiectum

ctum inhæſionis ipſorum non eſt aliud, quàm compoſitum phyſicum. Item accidentia, quæ ſunt idem re cum cōpoſito, vt eſt relatio identitatis ſpecificæ, quæ eſt inter Socratem, & Platonem ſimul exiſtentes, & actio, qua Deus cœlum Empyreum creauit, ac nunc etiam conſeruat, neceſſariò fatendum eſt in ipſomet compoſito phyſico inhærere; qui enim fieri poteſt, vt ſint idem re cum aliquo, & tamen in eo non inſint? ergo ſaltem huiuſmodi accidentia inhærent primò, atque immediatè in compoſito.

Aduerſus quartam. Materia, vt rectè ait Commentator initio lib. de ſubſtantia orbis, ſubſtantiatur per poſſe, eiuſque eſſentia in ratione potentiæ cōſiſtit, vt in primo Phyſicæ auſcultationis, cap. 9. quęſt. 3. art. 1. tum argumentis, tum auctoritate Platonis, & Ariſtotelis, aliorumque philoſophorum oſtendimus: ergo cùm nihil à propria natura decidere queat; ſiue materia coniuncta ſit cum forma, ſiue non; in nullo ſtatu deſinet eſſe ens in potentia; atqui ſubiectum alterationis, & aliorum motuum eſt ens in actu, vt Ariſtoteles hoc in libro cap. 4. text. 24. docuit. Igitur ſaltem motus non inhærent in materia, etiam cōſtituta ſub actu formæ. Secundò. Generatio ſubſtātialis vel inhæret in materia nuda, vt Ariſtoteles loco proximè citato, & cap. 1. lib. 3. Phyſic. text. 7. aſſerit; vel potiùs in forma, cum qua eſt idem re, vt cæteræ actiones cum ſuis terminis. Non igitur omnia accidentia inhęrent in materia, ſuppoſita cauſalitate formæ ſubſtantialis.

Obiecta aduerſus 4. cōcluſ.

Plato. Ariſtot.

Superiora argumenta hunc in modum ſoluenda erunt. Ad primū contra primam concluſionem conceſſa maiori neganda eſt minor; & ad eius confirmationem dicendum, licet ſuſtentare accidentia in rebus creatis ad materialem cauſam ſpectet, & imperfectionem includat; quia illæ ſuſtentant vt ſubiecta: in myſterio tamen incarnationis aliter ſe habere; quia Verbum Diuinum eatenus tantùm accidentia humanitatis, ſibi dumtaxat mediatè vnita dicitur ſuſtentare, quatenus ipſorum dependentiam vltimò terminat; non quia ſimul inhærent in ipſo, aut in natura, cum qua ſit idem realiter, ideſt diuina, quod vocamus hoc loco ſuſtentare vt ſubiectum, ſicuti ſuſtentant ſuppoſita creata. Illa autem dependentia à Verbo, prout eſt præciſè à Verbo, ad nullius cauſæ genus propriè pertinet, vt lib. 2. Phyſic. cap. 7. quæſt. 1. art. 3. diximus. Lege Scotum in 3. diſt. 1. quæſt. 1. art. 1. Capreolum ibidem art. 1. & in 2. diſt. 5. quæſt. 2.

Solutio 1. argum. aduerſu: 1. cōcluſ.

Lib. 8. Phyſ. c. 2. q. 1. a. 3

Quod ad ſecundum argumentum attinet, multorum opinio eſt, vt octauo Phyſic. lib. retulimus, creationem non eſſe actionē; idque nō nulli, præſertim è recentioribus philoſophis, eo potiſsimùm argumēto nituntur ſuadere, quia ſi creatio eſſet actio, cùm hæc requirat ſubiectum, id non aliud eſſet, quàm res ipſa, quæ creatur; quod tamen neutiquam videtur eſſe poſſe, quia ſubiectum eſt prius accidente, quod recipit; creatio verò, cùm ſit actio productiua, neceſſariò antecedit rem productam: atque ita ſubiectum eſſet prius creatione, & rurſus creatio prior ſubiecto, quod repugnat. Reſponderi tamen ſolet creationem eſſe natura priorem re creata in genere cauſæ efficientis; rem verò

Solut. 2.

Ratio exiſtimantiū creationem non eſſe actionē.

Sulutio propoſitæ rationis.

verò creatam in genere materialis, ſeu ſubiectiuæ cauſæ antecedere creationem. Nec eſſe incõmodum vnam, eandemque rẽ diuerſo cauſę genere eſſe alia tum priorem, tum poſteriorem. Quod concedit D. Thomas de potentia quæſtione 3. art. 3. vbi cùm ſtatuiſſet creationem paſsiuè acceptam eſſe relationem quandam, videlicet creaturæ ad creatorem, ſignificatam per modum mutationis ratione nouitatis incæptionisvè importatæ, in reſponſione ad 3. argumentũ, ita ſcripſit, Relatio illa accidens eſt, & ſecundum eſſe ſuum conſiderata, prout inhæret ſubiecto, poſterius eſt, quàm res creata; ſicuti accidẽs ſubiecto tum intellectu, tum natura poſterius eſt; quamuis non ſit tale accidens, quod cauſetur ex principijs ſubiecti. Si verò conſideretur ſecundum ſuam rationem, prout ex actione agentis innaſcitur prædicta relatio; ſic eſt quodammodo prior ſubiecto. Hæc D. Thomas, quibus verbis perſpicuè admittit prioritatem illam, quam diximus, in accidente, & ſubiecto; licet non putet creationem actiuam eſſe actionẽ mediam inter rem creatam, & Deum; vti nos eſſe arbitramur. Sed vrgent aduerſæ partis defenſores argumento, vt ipſi putant, irrefragabili, quo probare nituntur rem creatam, etiam in ratione cauſæ materialis, eſſe poſteriorem actione creandi, eamq; modis omnibus ſupponere; atque, ita non poſſe nos illis prioritatibus argumentum diluere. Subiectum, inquiunt, vt exerceat cauſalitatem recipiendo accidens, debet priùs natura exiſtere; cùm omnis eiuſmodi cauſalitas ſupponat exiſtentiam cauſantis: vt autem exiſtat, debet produci, & accipere eſſe; hoc autem accipit per creationem: ergo ſubiectum, ſiue res creata etiam in ratione cauſæ ſubiectiuæ, eſt quid poſterius creatione. Prætereà poteſt eadem aſſertio deduci ad aliud incõmodum hoc modo. Creatio ſpectata vt eſt actio productiua, priùs natura exiſtit, quàm exerceat cauſalitatem in rem creatam: ſed in illo naturæ momento nõ dum exiſtit res creata, quæ eſt ſubiectum creationis; cùm nondum ſit producta: ergo tunc exiſtet creatio ſine ſubiecto, quod ſaltem naturæ viribus fieri non poteſt.

*D. Thomas.* — *De relatione creaturæ.* — *Contra datã ſolutionẽ inſtant aduerſarij.*

Sed hæc negotium exhibent ijs, qui non ſatis aduertunt quidnam ſint illæ prioritates & inſtãtia naturæ, & quidnam ex illis poſsit colligi, quid non poſsit. Certè huiuſmodi inſtantia, vt alibi ex Durando cõmonuimus, non ſunt menſuræ durationum; ſed potiùs ſigna quædã indicantia è duabus, aut pluribus rebus aliquam interſe dependentiã, aut ordinem habentibus, poſſe vnam conſideratione præintelligi alteri; quo modo creatio, vt eſt via ad conferendum eſſe, præconcipitur Angelo, qui creatur; & Angelus, prout creationem poteſt recipere, præconcipitur creationi. Ex quo non ſequitur aut creationem re ipſa, & à parte rei, vt loquuntur, exiſtere ſine Angelo, aut contra; cùm illæ prioritates non ſint veræ menſuræ, vti diximus, durationum, ſed anteceſsiones naturæ, & mutuæ dependentiæ, quæ in cauſa eſt, vt vnum alteri præconcipi queat. Ita liquet quidnam propoſito argumẽto reſpondendum ſit. Negandæ enim ſunt omnes illæ conſecutiones, ſubiectum eſt prius natura creatione; ergo exiſtit ſine creatione, ſiue

*Occurritur aduerſarijs.* — *Lib. 4. Phyſ. c. 14 q. 3. a. 2.* — *Inſtantia naturę quid ſint.*

antequam ſit creatio: item creatiò eſt prior naturà re creata; ergo exiſtit ſine re creata, ſiue re creata non exiſtente: Item prius eſt accipere eſſe, quàm cauſare; ergo res priùs exiſtit, quàm cauſet, ſiue exiſtit non cauſando: ſicuti nec probè colliges, animal eſt prius natura homine, & bellua; ergo exiſtit non exiſtente homine, & bellua, ſiue antequam hæc exiſtant. Sunt enim omnes iſtiuſmodi conſequētiæ à ſecundum quid ad ſimpliciter: quia à prioritate illa naturæ, & à præcōceptione, & exiſtentia obiectiua in intellectu, quæ eſt exiſtentia ſecūdum quid, arguunt realem exiſtentiam, quæ eſt exiſtentia ſimpliciter. Quod ſi pronunciata illa; ſubiectum, vt exerceat cauſalitatē, debet priùs exiſtere: actio priùs exiſtit, quàm exerceat cauſalitatem, ſeu priùs quàm per eam aliquid cauſetur, aliaque his ſimilia, vſurpent verbum, exiſtit, vt importat exiſtentiam realem, ita vt ſit ſenſus ſubiectum, aut actionem (in re propoſita) ſine ſuis cauſalitatibus, vel ante illas in natura rerum exiſtere, neganda ſunt, quia naturæ prioritatibus, realis exiſtentiæ autceſsionē falſò attribuunt.

Prioritates naturę quam vim habeāt.

Lege de his prioritatibus Heruæum q᷑ lib. 4. q. 10.

Libuit ad hanc difficultatem enodandam hoc loco digredi, non ſolùm vt argumenti ſolutio exactior eſſet, ac plenior; ſed quia hæc ipſa explicatio in hoc opere non ſemel nobis vſui futura eſt. Igitur ad argumentū reſpōdendum creationem materiæ eſſe actionem, vt octauo libro Phyſicorum ex profeſſo oſtendimus, dicendumque iſtiuſmodi actionem ſuſtentari à ſuppoſito, non à materia; quia hæc non habet propriam ſubſiſtentiam; ſed producitur, exiſtitque dependenter à forma, & eſt in toto tanquam in eo, ad quod vltimò ſuam dependentiam terminat: (vnde & minùs propriè creari dicitur) atque hoc ſat eſt ad tuendam veritatem noſtrę concluſionis, qua aſſeruimus ſubiectum ſuſtinens vt quod materialia accidentia, eſſe totum compoſitum. Nihil verò obſtat quod lapis, cuius materiam creari dicimus, non denominetur creari: quia licet vocetur ſubiectum quod omnium accidentium, non tamen oportet, vt ei omniū appellatio cōueniat, etiam eorū, quæ ipſi repugnant: quo modo ſeſę habet in propoſito exemplo creatio reſpectu huius lapidis. Sic etiam in myſterio incarnationis licet anima Chriſti incœperit eſſe, nō ideò tamen ſuppoſitum, id eſt, Verbum Diuinum, aut Chriſtus dicitur incæpiſſe eſſe, vt eſt cōmunis Theologorum aſſertio, definita, vt ait Caietanus 3. part. quæſt. 16. art. 9. ab Alexandro Sexto. Nimirum quia cùm eſſe, quippiam cōmune ſit omne eſſe cōprehendens, ſiquid incœpiſſe eſſe perhibeatur, ſenſus erit, id antea nullum habuiſſe eſſe, quod de Verbo Diuino, & de Chriſto non verè dici, planè conſtat.

Creatio materię eſt actio

Cap. 2. q. 1. art. 3.

Occurritur tacitę obiecti.

Chriſtus nōn dicitur incępiſſe eſſe.

Ad tertium reſpondendum eſt etſi anima Chriſti non ſubſiſtat per propriam ſubſiſtentiam, vt rectè probat argumentū, denominari tñ vt quod ab actionibus ſibi proprijs, quia eſt quid ſubſiſtens per ſubſiſtentiam Verbi ſibi propriè, imo & pri⁹ natura, quàm humanitati applicatā: atq; ita non pendet aliūde ſicuti pendēt materia, & formę materiales, & humanitas ipſa, vt dictū eſt. Atque hac ratione intelligi debet id, quod diximus, videlicet nō ſuſtentare vt quod, niſi id, quod propriā obtinet

Solut. 3. arg. contra 1. cōcluſ.

ſubſiſtentiam; propriam inquam, ideſt, vel ſibi naturalem, vel ſibi ꝓpriè applicatam.

Solutio. 1. argum. contra 2. conclu.

Ad primum contra ſecundam concluſionem negandum eſt antecedens, & ad eius probationem dicendum formam ignis, cæteraſque formas recipi in materiam extenſam extenſione quantitatis: licet enim forma, cùm materiã ſubit, in genere cauſæ formalis, & efficientis antecedat quantitatem, & ita quantitas hac conſideratione non inhæreat niſi in materia ſuppoſito actu formæ: tamen in genere cauſæ diſpoſitiuæ, & materialis quantitas noſtro intelligendi modo vtcumque formam præit.

Solut. 2.

Ad ſecundum negandum eſt antecedens, quia forma humana, cùm ſubſiſtat per ſe, poteſt recipere, & ſuſtentare ſimul propria accidentia; materia verò non ſubſiſtit per ſe, vt dictum fuit.

Solut. 1. arg. contra 3. cõcluſ.

Ad primum contra tertiam concluſionem dicito id, per quod accidentia à philoſophis definiuntur, cùm per attributionem ad ſubiecta explicantur, non eſſe ſubiectum inhæſionis, de quo in argumẽto quæritur, ſed ſubiectum quod, ſiue principale; id autem nos concedimus in materialibus accidentibus eſſe ipſum compoſitum phyſicum, vt ex prima concluſione initio controuerſiæ tradita patet.

Solut. 2.

Ad ſecundum fatemur accidentia, quæ ſunt idem re cum toto, inhærere ipſi: neque de his noſtra tertia concluſio intelligenda eſt, ſed de alijs ordinarijs accidentibus, & quæ magis propriè materialia vocãtur; quia per materiam, quaſi per eorum radicem, compoſitis conueniunt.

Solut. 1. arg. contra 4. cõcluſ.

Ad primum contra quartum dicimus materiam ex ſua natura, & intrinſeca ratione eſſe puram potentiam; id tamen non obſtare, quominus prout eſt ſubſtantiali formæ coniuncta, accidentaria appellatione dicatur ens in actu, hoc eſt, actuata per formam: nam etiam tunc ſeruat rationem potentiæ, cùm neque in ſe ſit actus, neque ex actu, & potentia more compoſiti phyſici coaleſcat, vt in lib. 1. phyſic. capit. 9. quæſtione tertia, articulo primo expoſſuimus.

Solut. 2.

Ad ſecundum reſpondendum eſt, cùm generatio ſubſtantialis ſit via ad formam, peculiare illi eſſe inter alia accidentia, vt inhæreat in materia nuda, interuentu tamen formæ, cum qua eſt idem realiter, ſaltem ſi forma materialis ſit, qua de re ſuo in loco. In materia, inquam, nuda, quia ſicuti forma, vnitur nudæ materiæ in eo momento naturæ, quo ſubſequentes diſpoſitiones præit; ita generatio interiectu formæ in eandem materiam nudam ſuo modo recipi dicenda eſt.

Obiectio.

Obijciat tñ aliquis. Generatio inhæret ĩmediatè in forma, & interuẽtu formæ in materia? ergo ſupponit formã, atq; adeò dicetur generatio recipi in materiã ſuppoſito actu formę; nullũq; ſupererit diſcrimen ex parte ſubiecti inter generationẽ, & motũ, cæteraq; accidẽtia; quod ijs, quę ſæpe ex Ariſtotele retulimus, cõtradicit.

De ſubiecto generationis

Vt hæc obiecto diluatur aduerte, cùm in eodẽ inſtati tẽporis ſit generatio, & forma actuet materiã, & ſubſequẽtes diſpoſitiones inferãtur, & reſultet cõpoſitũ, nõ recipi generationẽ in materia, quę re ipſa ꝑ aliquã verã, & realẽ durationẽ

nuda

nuda ſit, nullamque formam habeat; item non exiſtere generationẽ, quin iam tũc ſuſtentetur à ſuppoſito, id eſt, à cõpoſito phyſico, atq; adeò quin prærequirat tamquam prius natura in genere cauſæ materialis ſuppoſitum ipſum, & actum formæ ſubſtantialis, tanquam conditionem, ſine qua materia nullum actum ſecundum admittit. Quare reliquum eſt, vt generatio eatenus tantùm dicatur recipi in materiam nudam abſque actu formę, quatenus excipitur in materia non habente aliquam formam ſubſtãtialem, quam ipſa non inuehat, ſiue producẽdo, ſiue eius vnionem duntaxat attingendo; quod tamen nec motui, nec alijs accidentibus conuenit; ſiquidem hæc omnia ſupponunt, inueniuntque formam generatione introductam. Adde quod generatio ſecundum rationem cauſę agentis, formam antecedit, prout cauſa agens eius interuentu formam producit, aut ſaltem vnit, quæ tamen cauſalitas neque in motum cadit, vt planum eſt, neque in reliqua accidentia, quæ inſtanti generationis formam comitantur, vt progreſſu oſtendemus.

Quo pacto dicendum ſit generationẽ recipi in materiam nudã.

Ita patet ratum adhuc manere diſcrimen inter generationem, aliaq; accidẽtia; hæc enim ſupponunt materiam ſub actu formæ introductæ: illa ſub actu formæ, quam ipſa introducit. Quo fit, vt generatio, & forma ſumpta tanquam vnum quid (ſiquidem realiter idem ſunt) nudam materiam inueniant, vtpote ſine forma, & accidẽtibus; cùm hæc prioris formæ abſceſſu pereant exceptis ijs, quæ ſunt idem re cũ materia, vt relatio creaturæ, & reſpectus ſimilitudinis, vel identitatis ſpecificæ inter duas materias ſimul exiſtentes, aliaque id genus, quæ in materia perpetuò inſident, neque à certa definitaque forma dependent, vt nec ipſa materia.

Diſcrimen inter ſubiectum generationis, & aliorum accidentium.

Supereſt adhuc in præſenti diſceptatione exquirendum circa dependentiam accidentium à materia ſub actu formæ, num ſaltem diuina virtute poſsit aliquod accidens inhærere ſoli materiæ omni ſubſtãtiali forma deſtitutæ. Durandus in 2. ſent. d. 13. quæſt. 2. negat id fieri poſſe, quia ex forma, quæ materiæ primò aduenit, & ex materia fit vnum per ſe; quandoquidem vbi non eſt niſi vnus actus, ibi eſt ſimpliciter vnum; vnum autem ſimpliciter, eſt vnum ſubſtantiale, ac per ſe. Quare ſi forma accidentaria nudæ materiæ inhæreret, ex accidente, & ſubſtantia fieret vnum per ſe, & ſubſtantiale; quod repugnat. Cõtraria tamen ſententia tuenda eſt, quia materia nec vt exiſtat, nec etiam vt recipiat accidentia, eget actu formæ neceſsitate abſoluta, ſed phyſica duntaxat, quæ ſuppleri à Deo poteſt, vt in primo phyſicæ Auſcultationis libro diſſeruimus. Deinde quia ſi Deus conſeruat quantitatem abſque omni ſubiecto, vt in diuina Euchariſtia patet; non dubium quin eandem quantitatem in materia, vt in ſubiecto, licet imperfecto, abſque adminiculo formæ conſeruare queat: cùm illud ex ſe maius, atque operoſius ſit, quàm hoc. Nec Durandi argumentũ vim habet; non enim ex materia, & qualibet forma, quæ primò, etiam diuinitus, materiæ aduenire poteſt, vnum fiet; ſed ex materia, & forma eiuſdem generis, hoc eſt, quæ ambæ ſint in genere ſubſtantiæ, namq;

Quęſtio.

Opinio Durandi.

Reſponſio.

Cap. 9. quęſt. 6. a. 3.

Non ex qualibet forma, & materia fit vnum

hæ ſolæ inter ſe ordinem, & proportionem ad vnum per ſe componendum ſortiuntur. Itaque non vbicumque eſt vnus actus, ibi eſt vnum ſimpliciter, quia ſi huiuſmodi actus, accidens ſit, non fiet niſi vnum per accidens, quod non vnum, ſed plura abſolutè dicimus: ſi autem ſit actus ſubſtantialis talem materiam ſuapte natura informans, ex eo, & materia vnum per ſe fiet.

Ariſt. lib. 2. de an. cap. 1. text. 7. & lib. 8. Metaph. c. 6. text. 15. D. Th. 1. p. q. 76. a. 7. Alenſ. 3. p. q. 7. m. 1. art. 1.

# QVÆSTIO. V.

## VTRVM QVODLIBET ACCIDENS diuina virtute alieno ſubiecto inhærere poſsit, an non.

### ARTICVLVS. I.

### ARGVMENTA PRO PARTE negatiua.

Senſus propoſitæ quæſt.

COnſtituto accidentium ſubiecto, in quæſtionem vocamus num per diuinam potentiam poſsit quodlibet accidens transferri à ſubiecto, in quo eſt, ad ſubiectũ alienum, id eſt, ad ſubiectum, in quo non eſt, vel etiam denuò produci in ſubiecto, cui ex conſueto naturæ ordine non competit. In negatiuam partem hæc ſe ſe offerunt. Quemadmodum accidens in commune eſſentialiter reſpicit ſubſtantiam in commune, ita & hoc accidens hanc ſubſtantiam ſingularem ſibi propriam, cui ex ordine naturæ conuenit: ſed accidens non poteſt eſſe extra ſubiectum, ad quod eſſentialiter refertur: quia iam reſpectum illum ſibi intrinſecum amitteret. Nullum ergo accidens poteſt alieno ſubiecto inhærere. Item non minùs repugnat vnum accidens exiſtere per alterius exiſtẽtiam, quàm eſſe in ſubiecto alterius: vtrobique enim par difficultas occurrit; ſed primum nõ videtur admittendum; ergo nec poſterius. Tertiò, forma Socratis non poteſt informare materiam Bucephali: ergo nec accidentia illius, materiam huius; conſecutio videtur perſpicua: quandoquidem accidentia, cùm inſint per inhæſionem, magis pendent à proprio ſubiecto, quàm forma à materia. Antecedens probatur, quia compoſitum coagmentatum ex illa forma, & materia, nec eſſet Socrates; quia componeretur ex materia Bucephali, nec Bucephalus, quia conſtaret ex forma Socratis, nec verò eſſet aliud indiuiduum alterius ſpeciei, cùm ea nulla ſit, daretur igitur aliquod animal ſingulare ſub nulla ſpecie animalis contentũ, quod nemo dixerit.

Primum arg. pro parte negatiua.

2. Argum.

3. Argum.

Præte-

Præterea, quod ſaltem accidentia materialia, & immaterialia non poſsint commutatis ſubiectis inhærere, ita videtur concludi. Senſibile, & inſenſibile, ſiue materiale, & immateriale ſunt rationes genericæ accidentium; repugnat verò aliquid amittere rationem ſui generis: At hanc amitterēt iſtiuſmodi accidētia ſi commutatis ſubiectis inhærerēt: ergo & cæt. Probatur aſſumptio; quia ſi accidens ſenſibile eſſet in ſubiecto immateriali, careret extenſione partium, ſine qua nihil ſenſū mouere poteſt; atque ita non iam maneret accidens ſenſibile. Item ſi accidens immateriale eſſet in ſubiecto ſenſibili, & extenſo, obtineret extenſionem; quia omne, quod in aliquo recipitur, neceſſariò conditionem recipientis ſequitur: quare iam accidens immateriale maneret extenſum, & ſenſibile. 4. Argum.

Deinde. Vt accidentia alicui ſubiecto per inhæſionem vniantur, debent inter ſe ordinem, & proportionem habere; atqui ſubiectū materiale nullum habet ordinem aut porportionem ad accidēs ſpirituale: ſimiliter neque ſubiectum immateriale ad materiale accidens, cùm ſint omnino diſſentanea, & alterius ordinis: non poſſunt ergo iſtiuſmodi accidentia per inhæſionem ijs ſubiectis vniri, eiſque ineſſe. Confirmaturque argumentum, quia ſicuti ob defectum proportionis, & ordinis, forma cœli non poteſt, etiam diuina virtute, vt in libris de Cœlo diximus, informare ſublunarem materiam, ſi ponamus hanc ſpecie differre à cœleſti; ita ob eundem met defectum nequibunt accidentia corporalia per inhæſionē copulari ſubiectis immaterialibus, aut è cōuerſo. Denique Angelus nullo modo poteſt informare materiam; vnde neque dum mouet cœlum, neque dum corpus aſſumit, eis vnitur tanquam forma informans, ſed tanquam motor: ergo pari ratione neque forma accidentaria ſpiritalis vllo pacto poterit materiæ copulari. 5. Argum. Confirmatio argumenti. Lib. 1. cap. 2. q. 6 a. 5. 6. Argum.

## ARTICVLVS. II.

# QVID IN RE PROPOSITA ſentiendum videatur.

Poteſt hæc controuerſia intelligi de accidentibus, quæ ſunt idem re cum ſubiecto, vel de ijs, quæ à ſubiecto realiter differunt. Itē de accidētibus materialibus, vel immaterialibus; ac de vtriſque ita vt fiat comparatio inter accidentia materialia, & ſubiecta materialia, & inter accidentia immaterialia, & ſubiecta immaterialia: vel ita, vt cōmutentur ſubiecta, & materialia accidentia cum ſubiectis immaterialibus; immaterialia cum materialibus conferantur.

Sit prima concluſio. Nullum accidens idem re cum vno ſubiecto poteſt in alio diuina virtute cōſtitui. In hac concluſione nomine ſubiecti intelligimus tam ſubiectum inhæſionis, quàm denominationis, tam ſubiectum quod, quàm ſubiectum quo. Eſt autem eius veritas 1. Concluſ.

 perſpi-

perſpicua. Nam quæ ſunt idem realiter, ita ſe habent, vt nequeat vtrumque diſiungi ab altero ( licet in horum nonnullis, id, quod eſt prius, interdum inueniatur ſine poſteriori, quoad eius formalem rationem, vt potentia generandi abſque paternitate) ſi enim ambo ab ſe mutuò ſeparata conſiſterent, neceſſariò eſſent diuerſæ realitates, nec iam tale accidens, & ſubiectum idem re dici poſſent. Itaque nequit relatio creaturæ, quæ eſt idem re cum hac anima rationali, in alia anima conſtitui: nec figura, quæ eſt idem re cum hac quantitate, in alia quantitate poni.

*Relatio creaturæ eſt idem re cum illa.*

*2. Concluſio.* Secũda cõcluſio. Quodlibet accidẽs materiale poteſt diuina virtute eſſe in quouis ſubiecto materiali, & quodlibet ĩmateriale in ſubiecto, ſiue ĩmateriali, ſiue materiali. Hæc ꝓbatur, quia ſi Deꝰ cõſeruat humanitatem in ſuppoſito alieno, vt patet in myſterio incarnationis; & quantitatem extra omne ſubiectum, vt in diuina Euchariſtia; certè nõ eſt, cur nõ poſſit conſeruare iſtiuſmodi accidentia in ſubiecto non ſuo: cùm inde nulla ſequatur repugnantia, vt ex argumentorum ſolutione conſtabit. Aduerte autem bifariam intelligi poſſe immateriale accidens cõſtitui in ſubiecto materiali. Vno modo, vt ponatur in eo indiuiſibiliter, ſiue quia ponitur in vno aliquo dumtaxat puncto talis ſubiecti, alioqui extenſi; ſiue quia collocatur in eo ſubiecto redacto per diuinam potentiã ad indiuiſibile ſub puncto quantitatiuo, & poſitiuo: ſeu abſque eiuſmodi puncto. Altero, vt ponatur in ſubiecto extenſo, & eius quantitate per accidens extendatur. Noſtra ergo concluſio, de ſubiecto ſecundum priorem conſiderationem intelligi debet. Nam ſecundum poſteriorem veriſimilius eſt nullum accidens ſpiritale poſſe recipi: etſi contrarium defendat, præter alios, Capreolus in 2. diſt. 31. quæſt. 1. art. 3. ad 1. contra 3. concluſionem admittens qualitatem ſpiritalem habentem intentionale eſſe, poſſe abſolutè recipi in ſubiecto quanto. Probatur tamen noſtra ſententia ex eo, quia nihil poteſt tali modo recipi, extendique, niſi conſtet partibus entitatiuis extenſionẽ ſubeuntibus: his autem nullum accidens ſpiritale conſtat, ſicuti neque ſpiritalis ſubſtantia, cùm ſint ex ſua quidditate indiuiſibilia. Nec verò eas partes diuina virtus conferre illis poteſt, ſicuti neque puncto; alioqui à propria natura deciderent. A qua tamen non decidet accidens extenſum, ſi fiat actu inextenſum in immateriali ſubiecto: adhuc enim ibi retinebit partes ſuas entitatiuas, etſi non extenſas, ſed ad pũctum collectas: quemadmodum nec materia beneficio quantitatis per accidens extenſa naturam propriam amittet, ſi remota quantitate ad indiuiſibile reuocetur.

*Lege Toletanum lib. 3. de anim. q. 2. a. 2. Capr. in 2. d. 3. q. 2. a. 3.*

*Duplex ſenſus propoſitę concl.*

*Probatio ſecundæ concluſionis.*

*3. Concluſio.* Tertia concluſio. Non omnia accidentià materialia poſſunt diuina virtute immateriali ſubiecto inhærere; quædam tamen poſſunt. Prior huiuſce concluſionis pars ſuadetur. Nam quantitas ( quod pari modo intellige de cæteris accidentibus, quæ idem re ſunt cum quantitate, eamque ſecum intrinſecè deferunt, vt figura) non poteſt diuina virtute inhærere Angelo, aut animæ rationali: etenim licet quantitas (vt alibi docuimus) poſſit indiuiſibili in ordine ad loci dimenſionem reſpon-

*Lib. 4. Phyſi. c. 5. q. 4.*